CONFESSIO
AUGUSTINIANA,
HOC EST,
THEOLOGIA
Ex Libris Confeſſionum M.P. Auguſtini
EXSCULPTA,
QUAM
PRÆSIDE
F. PHILIPPO VAN WAVRE
Ordinis Eremitarum Sancti Patris Auguſtini, Sacræ Theologiæ Licentiato Profeſſore, ac Studii Regente,
TUEBITUR
Fr. ÆGIDIUS BAULDUIN
EJUSDEM ORDINIS.
Lovanii in Schola Auguſtiniana
Die Auguſti horâ 9. antè, & 3. poſt meridiem.



LOVANII,
Typis MARTINI HULLEGAERDE antè Academiam.
Anno 1687.

164

35. 3. I. 9

CONFESSIONES THEOL. SPECULATIVÆ.

CONFESSIO THEOLOGICA PRIMA

DE EXISTENTIA, ET ESSENTIA DEI.

Lib. 10. conf. c. 6. 1. *CÆlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te* (Deus) *amem: nec ceſſant dicere omnibus,* UT SINT INEXCUSABILES.

Lib. 7. c. 17. 2. *Quærens unde approbarem pulchritudinem corporum ſive Cæleſtium ſive terreſtrium, & quid mihi præſto eſſet integrè de mutabilibus judicanti, & dicenti: hoc ita eſſe debet; illud non ita: hoc ergo quærens undè judicarem, inveneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem ſuprà mentem meam commutabilem.*

3. *Quod niſi aliquo modo noſſet, nullo modo illud mutabili certè præponeret.*

Lib. 10. c. 24. 4. *Ubi inveni veritatem, ibi inveni Deum meum.*

Lib. 7. c. 10. 5. FACILIUSQUE DUBITAREM VIVERE ME, *quam non eſſe veritatem, quæ per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicitur.*

Facilius ergo dubitarem hominem ſe invincibiliter ignorare poſſe, quam veritatem, *quæ per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur,* noſſe non poſſe. Sunt qui ſe vivere noſſe negant, ſed quod neſcire non poſſunt. Sunt & qui Deum negant, quem præſtò eſſe, dum veritatem conſulunt, negare non poſſunt. Tanta vis eſt divinitatis, ſicut & veritatis, ut creaturæ rationali ratione utenti penitus non poſſit abſcondi. Habent tamen qui ignorare non poſſunt, à quibus ignorare coguntur, patronos, eoſque (quod ſtupeas) Theologos. His voveo ut fortunet omnia qui etiam ignorantias relaxat Pater luminis. Deſinat tamen hujuſmodi ignorantiæ tenebris Auguſtinianam obſcurare Cathedram, ut actitaſſe viſus eſt præſes eruditus elapſi anni 24. Aprilis Theſi V. Ad hujuſmodi conſpectum ignorantiæ erubeſcit Auguſtiniana profeſſio, quia ei vel ipſa ſola fatalis eſt M. P. Auguſtini Confeſſio.

L. 1. c. 4 6. *Quid dicimus Deus meus, vita mea, dulcedo mea ſancta? aut quid dicit aliquis cum de te dicit? & væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti ſunt.*

Cap. 6. 7. *Antè omne, quod vel antè dici poteſt, tu es, & Deus es, & apud te rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium ſempiternæ vivunt rationes.*

L. 7. c. 4 8. *Neque ulla anima unquam potuit, poteritvè cogitare aliquid quod ſit te melius, qui ſummum & optimum bonum es.*

Ibid. 9. *Nullo modo violat corruptio Deum noſtrum, nullâ voluntate, nullâ neceſſitate, nullo improviſo caſu, quoniam ipſe eſt Deus, & quod ſibi vult bonum eſt, & ipſe eſt idem bonum: corrumpi autem non eſt bonum.*

10. *Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt major potentiâ tuâ: eſſet autem major ſi tu teipſo major eſſes. Voluntas enim & potentia Dei Deus ipſe eſt.*

11. *Et quid improviſum tibi qui noſti omnia, & nulla natura eſt niſi quia noſti eam. Et cur multa dicimus cur non ſit corruptibilis ſubſtantia quæ Deus eſt, quandò ſi hoc eſſet, Deus non eſſet.*

Lib. 13. c. 3. 12. *Solus ſimpliciter es, cui non eſt aliud vivere, aliud beatè vivere, quia tua beatitudo tu es.*

C. 16. 13. *Sicut omninò tu es, tu ſcis ſolus qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & ſcientia tua eſt, & vult incommutabiliter, & voluntas eſt & ſcit incommutabiliter.*

Lib. 11. cap. 31. 14. *Sicut in principio noſti Cælum & terram ſine varietate notitiæ tuæ, ita feciſti in principio cælum & terram ſine diſtinctione actionis tuæ.*

15. Niſi ergo ut unum in Deo, & cum Deo omnia conſideraveris, habebis multiplicem Deum, & ideò nec Deum. Simpliciſſima Dei natura in cujus ſinu non eſt contradictio, formalis haud indiga eſt diſtinctionis, nè ubi intrat diſtinctio ut contradictionem conciliet, majori contradictione pulſetur.

ANno 1682. die 7. & 8. Julii Theſi 1. Eruditus Præſes Auguſtinum profiteri viſus aliquandò, confeſſus eſt & non negavit Deum à rationis compote *invincibiliter aliquamdiu ignorari poſſe*. Hunc longo agmine inſecuti alii ejuſdem inſtituti Præſides uſque in hodiernum diem. Ad hujus currum dogmatis junguntur peccata (quod mirere) à Theologis Philoſophica, hoc eſt, quæ cum invincibili Dei ejuſque legis ignorantiâ committuntur: & quæ non habent undè pœnas ſenſûs mereantur æternas. Habebunt ergò Philoſophici rei ſceleris (ut collubitum videtur laudatis authoribus) damni quidem exilium, ſed non ignis ſupplicium. Medium tenebunt cum parvulis non renatis locum judiciumvè inter regnum Cælorum & ignem æternum. Hoc capeſcentem medium jam olim de medio recedere compulit Auguſtinus. Nec Philoſophici ſtaterâ judicii tam leviter appendit peccata ignorantium Deum; ſed in ſtaterâ æquâ divinarum ſcripturarum libravit graviter, ſine diſcrimine confitens de peccatis v. g. ſodomiticis l. 3. conf. c. 8. *Quæ ſi omnes gentes facerent* EODEM *criminis* REATU DIVINA LEGE *tenerentur*. In rem noſtram facit hæc Auguſtini Expoſtulatio l. 4. contra Jul. c. 3. *An fortè & iſtis qui exhibuerunt terrenæ Patriæ Babylonicam dilectionem & virtute civili non verâ, ſed veriſimili dæmonibus & humanæ gloriæ ſervierunt, Fabriciis videlicet & Regulis & Fabiis & Scipionibus & Camillis cæteriſque talibus, ſicut infantibus, qui ſine baptiſmate moriuntur proviſuri eſtis aliquem locum medium inter damnationem regnumque Cælorum?..... qui Deo non placuerunt, cui ſine fide placere impoſſibile eſt, quam nec in operibus nec in cordibus habuerunt? Non opinor perditionem veſtram uſque ad iſtam poſſe impudentiam proſilire.* En quid Auguſtinus indulgeat virtutibus civilibus ſine fide exercitis. Non concedit locum medium: & hunc daturum arbitramini peccatis Philoſophicis?

CONFESSIO II.

DE SS. TRINITATE.

1. *PRocede in Confeſſione fides mea: Dic Domino Deo tuo: Sancte, ſancte, ſancte Domine Deus meus. In nomine tuo baptizati ſumus, Pater, & Fili, & Spiritus ſancte.* Lib.13. c.12.

2. *Trinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, ſi tamen eam? Rara anima, quæ cùm de illa loquitur, ſciat quid loquatur.* Cap.11

3. *Vellem ut hæc tria cogitarent homines in ſeipſis. eſſe, noſſe, velle. Sum enim, & novi, & volo. Sum ſciens & volens, & ſcio eſſe me & velle, & volo eſſe & ſcire.*

4. *Sed cùm invenerit, in his aliquid, non jam ſe putet inveniſſe illud, quod ſupra iſta eſt incommutabile, quod eſt incommutabiliter & vult incommutabiliter & ſcit incommutabiliter.*

5. Aliud Trinitas res ipſa, aliud Imago Trinitatis. Non eſt humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum. Reſpuit captioſas Philoſophiæ quæſtiones fides conſtans, neque humanarum fallaciis ineptiarum ſuccumbens ſpolium ſe præbet veritas falſitati.

6. Hoc equidem officium profitetur id, quod credit, incomprehenſibile ſibi eſſe, ſe ſcire.

7. Nec his adverſantur Platonicorum libri, ubi legit Auguſtinus *non quidem his verbis ſed multis & multiplicibus rationibus: Quod in Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* L.7.c.9

8. *Nec pudere debet doctos homines ex diſcipulis Platonis fieri diſcipulos Chriſti*, qui Piſcatorem ſuo ſpiritu docuit ſapere ac dicere: *In principio erat Verbum &c.* Quod initium S. Evangelii quidam Platonicus aureis litteris conſcribendum & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat.

9. Procedat itaque in confeſſione fides mea, non ratio mea, niſi ut fidei ancilla. Procedat Imago Trinitatis, ut in lumine Trinitatis Majeſtatem confiteatur Trinitatis.

10. Homo ad imaginem Dei conditur & ad imaginem communem: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Interrogo Arianum, inter verum & falſum Deum quomodò hoc dictum intelligatur? Verba ſenſum enuntiant, ſenſus rationis eſt motus, rationis motum veritas incitat.

11. Qui dicit *faciamus*, ſignificat ſecum ad faciendum non diſſentientem, non alienum,

non infirmum. Ubi eſt hic falſus Deus, cui verus Deus dicit, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?* Non habet unionem, non habet diverſitatem, non habet diſcretionem. Ad Patris & Filii Imaginem homo conditur. Nomen non diſcrepat, natura non differt. Una eſt enim imaginis, ad quam homo conditur, ſpecies. Unum ergo ſunt, ad quorum imaginis & ſimilitudinis unum eſt homo factus exemplum.

12. Ipſa Dei ſapientia, quam Chriſtum confiteris, ab initio & ante ſæcula Patri adeſt & cum Patre cuncta componit. Non ergo ſolitarius fuit Pater, neque in fabricatione mundi ſolitarius Pater ſibi loquitur, ſapientia ſecum & cooperante & conſummatâ operatione gaudente.

13. Quando Dominus Domino Davidis locutus eſt, ibi eſt filius, an non eſt? Si ibi eſt, profectò Pater & Filius unus eſt Dominus. Si autem ibi non eſt, & tamen Dominus eſt, mentitur qui dixit: *non eſt alius præter me Dominus.* Quantumcumque ergo laudes Patrem & infra eum deprimas Filium, id agis ut æquales non ſint, non ut duo non ſint. *Clama quantum vis Pater major, Filius minor; duo ſunt tamen major & minor.*

14. Idem Spiritus per Iſaiam loquitur: *Quoniam in te eſt Deus & non eſt Deus præter te. Tu es enim Deus, & neſciebamus, Deus Iſraël, Salvator.* Inſerat ſe in hanc & naturæ, & nominis inſeparabilem profeſſionem hæreticæ impietatis deſperatus furor, & ſi hæc poteſt, dictis ac rebus unita rabido veſaniæ furore concerpat.

15. Hieremias verò non diſpari Prophetiæ virtute indiſcretæ à Deo Patre naturæ unigenitum eſſe Deum ita docuit dicens: *Hic Deus noſter eſt, & non deputabitur alter ad eum, qui invenit omnem viam ſcientiæ &c. Poſt hæc ſuper terram viſus eſt & inter homines converſatus eſt.*

16. Diſce unum Deum verum intelligere & confiteri. Non alius Deus ad Chriſtum deputabitur ut Deus ſit. Quid verum & non verum, quid degenerem & nobilem, quid diverſam & indiverſam ſub unius Dei ementita Religione naturam componis? Deus eſt Pater, & Deus eſt Filius, in Deo Deus eſt, præter eum Deus non eſt, non alter ad eum deputatur ut Deus ſit.

17. Numquid corrumpi veritas poteſt, cùm Patris nomen auditur? Numquid natura Filii cùm continetur in nomine?

18. Patri notus eſt Filius. Clamat ſæpenumero Pater: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Non eſt abſciſſio aut diviſio. Impaſſibilis eſt enim ille qui genuit, & imago inviſibilis Dei eſt, ille qui natus eſt.

19. Filio notus eſt Pater. Teſtatur Filius: *Quia Pater in me & ego in Patre. Qui videt me videt & Patrem, omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt. Et mea omnia tua ſunt & tua mea ſunt. Et quæcumque habet Pater dedit Filio.*

20. Eſt itaque Filius ab eo qui Pater eſt, unigenitus ab ingenito, progenies à Parente, vivus à vivo, perfectus à perfecto, quia alter in altero, & plenitudo Divinitatis in Filio eſt.

21. Dominus dixerat: *Ego & Pater unum ſumus.* Et quia naturæ præſumptio vocaretur in crimen præſumendi, ratio docetur ex cauſa. Ait enim: *Si non facio opera Patris, nolite credere mihi.* Non habet ergo Nativitas novam externamque naturam, quia per id Filius eſſe credendus eſt, quod opera Patris efficiat. Quid hic adoptio? quid indulgentia nominis, loci invenit?

22. Ad id quod dictum eſt: *Ego & Pater unum ſumus*, Judæi lapides elevaverunt, & eorum impius dolor ad Sacramentum fidei impatiens uſque ad impetum inferendæ mortis erupit. Quid tu Ariane, non habendo quem lapidas, negando minus efficiſti? Quanto tu irreligioſior Judæo? Lapides ille in corpus elevat, tu in ſpiritum. Ille in hominem, ut putabat, tu in Deum. Ille in ignoratum: tu in confeſſum. Ille dicit: *Cum tu ſis homo, facis te filium Dei.* Tu dicis, *cùm ſis creatura, te facis filium Dei.* Uterque dicitis: *Facis te Deum.* Hoc commune in eum impii veſtri oris opprobrium eſt.

23. Quæcumque Pater fecerit, ut teſtis eſt Filius, & Filius *ſimiliter facit.* Quid eſt ſimiliter niſi non diſſimili facilitate, non diſſimili poteſtate?

24. Accepit Joannes & de pectore Domini bibebat quod propinaret nobis. Quid? Quod carnalis homo non capit. *In principio erat Verbum.* Quid eſt autem in principio, niſi in Patre Filius? Interrogatus à Judæis quis eſſet, reſpondit: *Principium qui & loquor vobis.* Pater ergo principium non de principio, Filius principium de principio.

25. Au-

25. Audiamus alia de Verbo Diviniſſima Verba, quibus conſonâ voce convicti ſunt Ariani: *Et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Neque enim dicit omnia, niſi quæ facta ſunt, id eſt, omnem creaturam. Undè liquidò apparet ipſum factum non eſſe per quem facta ſunt omnia. Et ſi factus non eſt, creatura non eſt: ſi autem creatura non eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt. Omnis enim ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt. Et quæ creatura non eſt, Deus eſt.

26. Nihil ab his diſſimile ex perſecutore Apoſtolus & vas electionis prædicavit. Quis enim ſermo ejus non ſub Filii confeſſione eſt? Inter cætera volens Charitatem erga nos Dei oſtendere, non pepeciſſe Deum *proprio Filio ſuo* docuit: neque utique pro adoptandis, *adoptivo*, neque pro creatis, creaturæ; ſed pro alienis ſuo, pro nuncupandis *proprio.* Quære virtutem dicti, ut magnitudinem Charitatis intelligas.

27. Confitetur Petrus: *Tu es Filius Dei vivi.* At mihi tu hodie novi Apoſtolatûs ſacerdotium ingeris, Chriſtum ex nihilo creaturam. Quam vim affers, dictis glorioſis? Filium Dei confeſſus, ob hoc beatus eſt. Hæc revelatio patris, hoc Eccleſiæ fundamentum, hæc ſecuritas æternitatis, hine regni cælorum habet clavem, hine terrena ejus judicia cæleſtia ſunt. Filium Dei qui negat creaturam confitens, prius eſt ut neget Petri Apoſtolatum, fidem, beatitudinem, ſacerdotium, Martyrium, & poſt hæc alienum ſe à Chriſto eſſe intelligat, quia Petrus eum Filium Dei confeſſus, hæc meruit.

28. Anne ô miſer Arriane, beatiorem Petrum futurum fuiſſe exiſtimas, ſi dixiſſet: *Tu es Chriſtus perfecta Dei creatura & ſupereminens facturis omnibus factura, & qui ex nihilo cœpiſti eſſe & per bonitatem Dei, qui ſolus bonus eſt, nomen filii adoptione meruiſti, & quia non ex Deo es natus?* Cur hanc Confeſſionis fidem Pater Petro non revelavit, creaturam ſcilicet & adoptionem? Invidit, credo, hoc Petro Deus ut tempora poſteriora diſſimulans, hæc nunc nobis, vobis prædicatoribus, reſervaret. Sit ſane

29. Fides alia, ſi aliæ claves regni cælorum. Sit fides alia, ſi Eccleſia alia eſt futura, adverſus quam portæ inferi non prævalebant.

30. Judæi naturam Filii Dei non ignorant, neque interrogant, an Chriſtus Filius Dei ſit? ſed an hic ſit Chriſtus Filius Dei? Error in homine eſt, non in Dei filio. Et qua tandem rogo, iſtud fide denegas, quod ne ipſi quidem negant, qui neſciunt?

31. Poſtremò, Anne hujus nominis proprietatem dæmones neſcierunt? Dignum eſt hæreticos non jam Apoſtolicis doctrinis; ſed dæmonum clamore convinci. Clamant enim & ſæpè clamant: *Quid mihi & tibi eſt Ieſu Fili Altiſſimi?* Invitis veritas elicuit confeſſionem & naturæ poteſtatem teſtatur dolor: obediendi virtute vincuntur cum poſſeſſa diu corpora deſerunt. Honorem reddunt, dum naturam confitentur Dei ſe inter hæc filium Chriſtus & opere teſtatur & nomine. Unde tibi inter iſtas confitentium dæmonum voces ô hæreticè præſumis nomen creaturæ & indulgentiam adoptionis?

32. Dicat nunc infidelis Arrianus quia Dominus Deus tuus Deus unus eſt. Confitebor ego quia hæc eſt fides noſtra. Nec confeſſio noſtra periclitatur in nomine, quæ in natura filii unum & verum Deum prædicat. Unum verum Deum confiteris, ut unum verum Deum deneges?

33. Uſurpet ad honorem ſolitarii Patris quod ſcriptum eſt: *Non eſt Deus præter me.* Confundam ego, quoniam & hoc de filio dictum eſt: *tu es Deus Iſraël Salvator & non eſt Deus præter te.* Deum ergo Dei filium abnegando, non tam Deum tamquam ſolitarium gloriæ honore Veneraberis, quàm Patrem filii inhonoratione contemnes. Non eget delato à te honore innaſcibilis Deus, gloriam hanc à te ſolitudinis ſuæ non poſtulat. Ediſſere quomodo verum ſit: Dominus Deus tuus Deus Unus eſt, ſi Domini Dei nôſtri duo ſunt, Unus major, Unus minor?

34. Faciat filium primogenitum omnis Creaturæ Arrianus: non reluctabor ſi primogenitum intelligat in ea forma, quâ primogenitus eſt ex mortuis & in multis fratribus.

35. Conſtituat filium juſſu Patris ad dexteram Patris: non dejiciam filium hominis à percepta æterna felicitate, quæ eſt ipſa Patris dextera, ſed tamen quod completum eſt in verbo in carne efficaciter, intelligam in verbo ante carnem & ante ſecula fuiſſe veraciter.

36. Inducat ſapientiam profitentem ſe *creatam*, ut eam faciat creaturam; non me movebit

vebit nomen creationis, ubi ſapientia illa ante ſæcula fundatam & Deo cuncta præparanti coæternam, omnibus creatis anteriorem ſe affatim pronuntiat.

37. Congerat multa infirmitatis indicia Arrianus quibus Deo minorem faciat filium: Reſpondebo quod hinc fallendi occaſio ſit, quod quæ ſecundum hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecundum naturæ divinæ infirmitatem mentiatur.

38. Subjiciat ergo filium Patri, quia obediens fuit Patri: objiciam eandem formam ſervi, in qua ſubditus fuit & Matri.. Dicat eum à Patre accepiſſe nomen ſuper omne nomen; regeram hoc illi donatum ut homini ſecundùm quem eſt factus obediens uſque ad mortem crucis; quod tamen habebat idem ipſe Dei filius de Deo natus æqualis.

39. Confiteatur ſe filius Patre minorem: non inficiabitur quod naturâ eſt, non rapinâ, ſe Patri æqualem.

40. Confiteatur Arrius filium; ſed creatum. Ad confeſſionis confuſionem introducam Pictoris picturam, fabri gladium, Architecti domum, quam veneretur ut filium.

41. Poſtponat gignenti genitum quia genitus eſt, poſtponam igni ſplendorem, quia ab igne profectus eſt; quin æquabo gignenti æterno filium, quia filius eſt. Cum homines & canes veros gignant filios, melior erit animalium quàm Dei fœcunditas, ſi quæ illis gignentibus filios creat veritas, non ſit verus Dei filius ipſa veritas.

R E F L E X I O.

Calviniſta Arrianum impetit hoc ariete: *Ego & Pater unum ſumus*; ergo Filius eſt Patri conſubſtantialis. Inficiatur hic conſequentiam diſtincto priùs antecedenti in hunc modum: ſunt unum naturâ, nego. Sunt unum voluntatis conſenſione, concedo. Calviniſta hic hærere & Concilii Nycæni definitivam reponere: Arrianus ex altera Tridentinum Calviniano objectare cœperunt. Sistit hæc objectio controverſiam potiuſque Arianus Calviniſtam, quam hic illum ſuperaſſe viſus. Adprimè magis Arrianum Epiſcopum aggreſſurus fic aream adornat & pugnæ præparat Auguſtinus: *Quid eſt homouſion, niſi ego & Pater unum ſumus? ſed nunc nec ego Nycænum, nec tu debes Ariminenſe tamquam præjudicatum proferre Concilium: nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum authoritatibus, non quorumcumque propriis ſed utriuſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* L. 3. cont. Max. c. 14.

C O N F E S S I O III.

DE VOLUNTATE ET ÆTERNITATE DEI.

Lib. 12. cap. 15. 1. *Num dicetis falſa eſſe.., quod nequaquam ejus ſubſtantia per tempora varietur, nec ejus voluntas extrà ejus ſubſtantiam ſit?*

2. *Vndè non eum modò velle hoc, modò velle illud, ſed ſemel & ſimul & ſemper velle omnia quæ vult? non iterùm & iterùm: neque nunc iſta, nunc illa: nec velle poſteà quod nolebat, aut nolle quod priùs volebat: quia talis voluntas mutabilis eſt.*

3. *Et omne æternum mutabile non eſt. Deus autem noſter æternus eſt.*

4. *Item quod mihi dicitur in aurem interiorem: expectatio rerum venturarum fit contuitus cùm venerint: idemque contuitus fit memoria cùm præterierint. Omnis porrò intentio, quæ ita variatur, mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt: Deus autem noſter æternus eſt.*

5. *Hæc collige atque conjungo, & invenio Deum meum Deum æternum non aliquam tali nova voluntate condidiſſe creaturam, nec ſcientiam ejus tranſitorium aliquid pati.*

Lib. 11. cap. 10. 6. *Si enim ullus motus in Deo novus extitit, & voluntas nova, ut conderet creaturam, quam numquam ante condiderat; quomodò jam vera æternitas, ubi oritur voluntas quæ non erat?*

7. *Neque enim voluntas Dei creatura eſt, ſed ante creaturam: quia non crearetur aliquid, niſi Creatoris voluntas præcederet.*

cap. 11. 8. *Ad ipſam ergò Dei ſubſtantiam pertinet voluntas ejus. Quod ſi exortum eſt aliquid in Dei ſubſtantiâ, quod prius non erat; non veraciter dicitur æterna illa ſubſtantia.*

9. Dices: *ſi voluntas Dei ſempiterna erat, cur non ſempiterna & creatura?*

10. R. *Qui hæc dicunt, nondum te intelligunt (ô ſapientia Dei lux mentium) nondum intelligunt quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt, & conantur æterna ſapere: ſed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum eſt.*

10. *Quis*

11. *Quis tenebit cor hominis, ut ſtet & videat quomodò ſtans dictet futura & præterita tempora, nec futura nec præterita æternitas? Numquid manus mea valet hoc, aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem?*

12. *Nonne pleni ſunt vetuſtatis ſuæ, qui nobis dicunt: Quid faciebat Deus antequam faceret cælum & terram? ſi enim vacabat & non operabatur aliquid, cur non ſic ſemper & deinceps, quemadmodum retro ſemper ceſſavit ab opere?* cap.10.

13. *Ecce reſpondeo dicenti quid faciebat Deus &c. Non illud quod quidam reſpondiſſe perhibetur joculariter, eludens quæſtionis violentiam: Alta ſcrutantibus gehennas parabat. Aliud eſt videre, aliud ridere. Hæc non reſpondeo. Libentius enim reſponderim neſcio quod neſcio, quam illud, unde irridetur qui alta interrogavit, & laudatur qui falſa reſpondit.* c. 12.

14. *Sed dico, audenter dico: Antequam faceres Deus Cælum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid niſi creaturam faciebat? & utinam ſic ſciam quidquid utiliter ſcire cupio, quod nulla fiebat creatura, antequam fieret ulla creatura.*

REFLEXIO.

Quidam non infimæ claſſis Theologus ſtrenuè, ut rebatur, juſtitiam Dei, quæ homines non ſineret fieri miſeros niſi noſſet reos, tuiturus, cum premeretur exemplo pulli innocentis aſſi, jlocaliter repoſuit eludens argumenti violentiam: fortunæ loco cenſeri, quod pullus aſſetur pro homine, quia fors reſurrecturus in homine. Numquid lepido huic reſponſo apprimè adaptaveris illud Aug. lib. 11. conf. c. 12. *Aliud eſt videre, aliud eſt ridere. Hæc non reſpondeo. Libentius enim reſponderim: neſcio quod neſcio, quam illud unde irridetur qui alta interrogavit, & laudatur qui falſa reſpondit.*

CONFESSIO IV.

DE DEO CREATORE.

1. *Ecce ſunt cælum & terra, clamant quod facta ſunt: mutantur enim atque variantur.*

2. *Clamant etiam quod ſeipſa non fecerint: ideò ſumus, quia facta ſumus.* Lib.11.

3. *Non ergo eramus antequam eſſemus, ut fieri poſſemus à nobis. Et vox dicentium, eſt ipſa evidentia.* cap.4.

4. *Tu ergo Domine feciſti ea, qui pulcher es, pulchra ſunt enim: qui bonus es, bona ſunt enim.*

5. *Laudent te opera tua, ut amemus te, & amemus te, ut laudent te opera tua.*

6. *Quæ habent initium & finem ex tempore ortum & occaſum, profectum & defectum, ſpeciem & privationem.* Lib.13. cap.33.

7. *De nihilo enim à te, non de te facta ſunt.*

8. *Quia non de ipſa ſubſtantia Dei,* SED EX NIHILO *cuncta facta ſunt, ineſt quædam mutabilitas omnibus.*

9. *Sed quare ex nihilo facta ſunt?* ℞. *Quia non ſunt idipſum quod Deus.* Lib.12. cap.17.

10. Ergo *ex nihilo factum* eſt: *quia non eſt idipſum quod Deus.* Ergò quod factum eſt æternum non eſt, ergò æternum eſſe non potuit, quod non eſt idipſum quod Deus.

11. Præthereà *omne mutabile æternum non eſt*, ergo ſolus Deus æternus eſt, & eſſe poteſt. Ergo aliquam Creatori coæternam eſſe creaturam non modò fides, ſed & ratio ſana condemnat. c. 15. Lib.12. cap.15.

12. *Videant nullum tempus poſſe eſſe ſine creatura tua. Nec ulla tempora tibi eſſe coæterna, nec ullam creaturam, etiamſi eſt aliqua ſupra tempora.* Lib.11.

Tempus, quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitate immutabili non poteſt eſſe coæternum. cap.30.

13. Equidem *verum eſt nulla tempora perpeti, quod ita inhæret formæ incommutabili ut quamvis ſit mutabile, non mutetur.* Lib.12. cap.19.

14. *Dixiſti mihi voce forti, quod nec illa creatura tibi coæterna eſt, cujus voluntas tu ſolus es: ſeque perſeverantiſſimâ caſtitate hauriens mutabilitatem ſuam nuſquam & numquam exerit.* cap.11.

15. *Quoniam* NON SINE INITIO: FACTA EST ENIM: erat quippe ante illam Deus, quamvis nullo tempore ſine illa, non eam ſpatio tranſcurrente ſed manente perpetuitate præcedens. c. 15.

16. Nec conſequens eſt ut creatura creata non ſit, aut Creatori coëterna ſit, ſi ſemper fuit.

17. Di-

Lib. 12. cap. 11. 17. *Dixiſti voce forti in aurem interiorem quia tu æternus es, ſolus habens immortalitatem, item quod omnes naturas atque ſubſtantias, quæ non ſunt quod tu es, & tamen ſunt, tu feciſti, & hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à te qui es, ad id quod minùs eſt: quia talis motus delictum atque peccatum eſt.*

REFLEXIO.

SI *libido pœna peccati eſt, abijciendam eſſe pudicitiam, ne rebellis in Deum caſtitas illa latam ab eo dicatur enervare ſententiam*, aiebat Julianus & conabatur oſtendere *hanc inobedientiam carnis potiùs laudabilem eſſe, ſi pœna peccati eſt.* L. 5. cont. Jul. c. 8. Conſectarii abſurditatem colliſit Auguſtinus. Colliſiſſe fataliter ſuppoſitâ ad malum etiam materiale præmotione Divinâ monſtratum aveo. Interim *curavit Apoſtolus dicere quanta pœna ſit à Deo tradi paſſionibus ignominiæ, ſive deſerendo ſive alio quocumque vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc ſummè bonus & ineffabiliter juſtus.*

CONFESSIO V.

DE CREATIONE ANGELORUM.

Lib. 12. cap. 9. 1. *SPiritus Doctor famuli tui, cùm te commemorat feciſſe in principio cælum & terram, tacet de temporibus, ſilet de diebus.*

2. *Nimirùm cælum cæli, quod in principio feciſti, creatura eſt aliqua intellectualis: quamquam nequaquam tibi Trinitati coæterna.*

cap. 15. 3. *Quoniam non ſine initio: facta eſt eſt enim.*

cop. 9. 4. *Particeps tamen æternitatis tuæ, valdè mutabilitatem ſuam præ dulcedine dulciſſimæ contemplationis tuæ cohibet; & ſine ullo lapſu ex quo facta eſt, inhærendo tibi excedit omnem volubilem viciſſitudinem temporum.*

cap. 11. 5. *Te ſibi ſemper præſente, ad quem toto affectu ſe tenet, non habens futurum quod exſpectet, nec in præteritum trajiciens quod meminerit, nullâ vice variatur, nec in tempora ulla diſtenditur.*

cap. 15. 6. *An illud negatis, ſublimem eſſe quamdam creaturam, tam caſto amore cohærentem Deo vero & verè æterno; ut quamvis ei coæterna non ſit, in nullam tamen temporum varietatem & viciſſitudinem ab illo ſe reſolvat ac defluat, ſed in ejus ſolius veraciſſima contemplatione requieſcat? Quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, oſtendis ei te & ſufficis ei, & non declinat à te, nec ad ſe.*

7. *Ineſt tamen ei ipſa mutabilitas, undè tenebreſceret & frigeſceret, niſi amore grandi tibi cohærens tamquam ſemper meridies luceret & ferveret ex te.*

8. *Et ſi non invenimus tempus ante illam, quia & creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creata eſt, ante illam tamen eſt ipſius Creatoris æternitas, à quo facta ſumpſit exordium, quamvis non temporis, quoniam nondum erat tempus, ipſius tamen conditionis ſuæ.*

9. Porrò ſi ſacræ litteræ maximèque veraces ita dicunt in principio feciſſe Deum cælum & terram, ut nihil anteà feciſſe intelligatur, quia hoc potiùs in principio feciſſe diceretur, ſi quid feciſſet antè cætera cuncta, quæ fecit: procul dubio non eſt Angelus factus antè cælum & terram.

10. Ubi de mundi conſtitutione ſacræ litteræ loquuntur, non evidenter, dicitur utrum vel quo ordine creati ſint Angeli. Sed ſi prætermiſſi non ſunt, vel cæli nomine, vel potiùs lucis hujus, ſignificati ſunt, de qua dictum eſt: *Fiat lux.*

11. Non autem prætermiſſum eſſe hinc exiſtimo, quod ſcriptum eſt, requieviſſe Deum in ſeptimo die ab omnibus operibus ſuis quę fecit: cùm liberum ipſe ità ſit exorſus: *In principio fecit Deus cælum & terram:* ut antè cælum & terram nihil aliud feciſſe videatur.

12. Non eſt conſequens; ut ſi ſemper fuerunt Angeli, ideò non ſint creati.

13. Nec ſi ſemper fuerunt, ideò Creatori coæterni ſint.

14. Sed ideò ſemper fuiſſe dicentur, quia omni tempore fuerunt, ſine quibus tempora nullo modo eſſe potuerunt.

RE-

REFLEXIO.

Quia S. Auguſtinus admiſit creaturam ſpiritualem, quæ creaturam temporis antecedit, ea ſubiit eruditi Præſidis mentem cogitatio, Auguſtino eam fore ſententiam, quod antè cælum & terram condita foret creatura altera. Et ob hoc Auguſtino nuntium remittebat ſuprà Auguſtinum ſapere avidus falſæ doctrinæ nomine Confeſſionem aſpergens Auguſtinianam. Poterat hic jure non diſpari Auguſtinum incuſare quod antè terram diceret terram factam, quia & hæc, authore ipſo, creaturam temporis antecedit, & cum creatura ſpirituali *cælum cæli* dicta condita perhibetur. *Duo*, inquit, *reperio, quæ feciſti carentia temporibus, cùm tibi neutrum coæternum ſit: unum quod ità formatum eſt, ut ſine ullo defectu contemplationis, ſine ullo intervallo mutationis quamvis mutabile, tamen non mutatum, tuâ æternitate atque incommutabilitate perfruatur. Alterum quod ita informe erat, ut ex qua forma in quam formam vel motionis vel ſtationis mutaretur, quo tempore ſubderetur, non haberet. Sed hoc ut informe eſſet non reliquiſti, quoniam feciſti ante omnem diem in principio cælum & terram,* HÆC DUO QUÆ DICEBAM l. 12. Conf. c. 12.

CONFESSIO VI.

DE STATU ANGELORUM.

1. *Sicut corpori, non hoc eſt eſſe, quod pulchrum eſſe (alioquin deforme eſſe non poſſet) ita etiam creato Spiritui, non id eſt vivere, quod ſapienter vivere, alioquin incommutabiliter ſaperet.* Lib. 13. c. 2.

2. *Bonum autem illi eſt hærere tibi ſemper, nè quod adeptus eſt converſione, averſione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebroſæ abyſſo ſimilem.*

3. *Indicaverunt abyſſum univerſæ ſpirituales creaturæ. Niſi dixiſſes ab initio* FIAT LUX, ET FACTA ESSET LUX, *& inhæreret tibi omnis obediens intelligentia civitatis tuæ, & requieſceret in ſpiritu tuo; & ipſum cælum cæli tenebroſa abyſſus eſſet in ſe: nunc autem lux eſt in Domino* Cap. 8.

4. NEQUE EIUS INFORMITAS PLACERET TIBI, *ſi non lux fieret, non exiſtendo ſed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo, ut & quod utcumque vivit, & quod beatè vivit, non deberet niſi gratiæ tuæ, converſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt.* Cap. 3.

5. *Profectò enim tibi diſplicet eorum imperfectio, ut ex te perficiantur & tibi placeant.* c. 4.

6. Niſi tamen intellectualis vita ad Creatorem illuminando converteretur, fluitaret informiter. Et ut lib. 13. c. 2. dicitur, *tenebroſa fluitaret, ſimilis abyſſo, tui diſſimilis.* Verumtamen.

7. *Quid te promeruit inchoatio creaturæ ſpiritualis, ut ſaltem tenebroſa fluitaret.... atque ab eo illuminata lux fieret?* Cap. 2.

8. *Sicut non te promeruerat, ut eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet: ita nec, cùm jam eſſet, promeruit te ut illuminaretur.*

9. Angelum ſeu informem dixeris ſine luce gratiæ creari potuiſſe congruè, ſeu formatum ſine gratuita pronuntiâris forma, in Auguſtini lucem cornu impingis alterutro.

10. Eccur non igitur peroſum ſit Baianum iſtud de prima hominis juſtitia c 4 *Non minùs natura hominum quàm Angelorum eſt, quod apud eundem Pſalmiſtam ſubditur: mihi autem adhærere Deo bonum eſt?*

11. Nullo quidem modo ſecundùm aliquod temporis ſpatium priùs erant illi ſpiritus tenebræ, quos Angelos dicimus: ſed ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt: non tamen ità tantùm creati, ut quoquo modo eſſent & quoquo modo viverent, ſed etiam illuminati ut ſapienter, beatèque viverent.

12. Quatenùs autem antequam peccaſſent, illius ſapientiæ fuerint participes, definire quis poteſt?

13. Perſeverantiæ certitudinem ſuæ non habuiſſe Angelos peccatores, qui ſuâ pravitate illâ luce privati ſunt, conſequenti ratione colligimus: habuiſſe tamen aliquam, et ſi non præſciam beatitudinem profectò credendi ſunt.

14. Alios ità factos ut non acciperent præſcientiam vel perſeverantiæ vel caſus: alios au-

autem ita ut veritate certiſſimâ æternitatem ſuæ beatitudinis noſſent: an verò omnes æqualis fælicitatis donec iſti qui nunc mali ſunt, ab illo bonitatis lumine ſuâ voluntate cecidiſſent, quis ediſſeret?

15. Hanc perſeverantiæ certitudinem præmium fuiſſe permanſionis, Auguſtino conſonantius autumes.

16. Non habuere Angeli mali hanc beatitudinis plenitudinem.

17. Sed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine, ſine ullo vitio fruebantur.

18. Cauſa autem beatitudinis Angelorum bonorum ea eſt, quod ei adhærent qui ſummè eſt, ſimul ut facti ſunt amore cum quo facti ſunt, eoque ſunt à malorum ſocietate diſcreti, quod hi ab ea deficiendo mutati ſunt, malâ ſcilicet voluntate.

19. Iſtam voluntatem bonam, undè malè defecerunt, quis fecerat niſi qui eos cum amore caſto creaverat, ſimul in eis & condens naturam & largiens gratiam?

20. Itaque Angeli quidam per liberum arbitrium à Domino refugæ facti ſunt, ſuâque poteſtate delectati, velut bonum ſuum ſibi ipſi eſſent, à ſuperiori communi omnium beatifico bono, ad propria defluxerunt, & habentes elationis faſtum pro excellentiſſimâ æternitate, vanitatis aſtum pro certiſſima veritate, ſtudia partium, pro individua charitate, ſuperbi, fallaces, invidi effecti ſunt.

21. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.

REFLEXIO.

QUis non demiretur acutam Tricaſſini pro gratiâ ab extrinſeco efficaci obſervationem? Enimverò Angelicæ opitulationis exemplo eam demonſtrat. Sed ideone Angelicè? Quid? Etiam ab Auguſtino, quem totum cæteris altiùs inſpexiſſe videri vult, illuſtramentum profert. Sed numquid Auguſtinianum? Audiamus pro gratiâ contrà gratiam differentem lib. de gratiâ efficaci à ſeipſa refutata ex lib. Auguſt. pag. 192. & 193: *Ad hoc ut voluntas dicatur effectrix alicujus operis, ſufficit quod ad illud concurrat per imperium aut conſilium aut ſuaſionem ſecuto effectu. Unde licet gratia Angelorum nullo modo fuit efficax per ſe ſed per liberum eorum arbitrium... tamen* L. 12. de Civ. c. 9. *Deſcribit eam gratiam Angelorum bonorum ut effectricem bonæ voluntatis in eis.* Ubi, amabo te, eam gratiam ut effectricem bonæ voluntatis deſcribit, *quæ te Authore, Solum erat in eorum intellectu. & non erat niſi mediatum principium & extrinſecum evelitionum?* Quia dicit inter alia: *Iſtam* (bonam voluntatem) *quis fecerat niſi ille qui eos cum bonâ voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent creavit?*

Ideonè Deus bonam voluntatem & feciſſe & dediſſe dicendus erit, quia dedit *mediatum & extrinſecum*, quod ſolum erat in intellectu, bonæ voluntatis principium, quo bene uſum eſt ſtantium Angelorum arbitrium? Quidni ſic poterat, cum dicitur. *Deus omnia in nobis operari, & velle & perficere & greſſus hominis dirigere.* reſpondere Pelagius per legem atque doctrinam abundè divinam commendari gratiam?

CONFESSIO VII.

DE STATU HOMINIS INTEGRI.

Lib. 13. cap. 32. 1. *VIdemus hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam cunctis irrationabilibus ipſâ tuâ imagine ac ſimilitudine, hoc eſt, rationis & intelligentia virtute præponi.*

cap. 22. 2. *Neque dixiſti fiat homo ſecundum genus ſuum. Sed faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

3. *Mente quippè conſpiciens veritatem tuam homine demonſtratore non indiget, ut ſuum genus imitetur. Sed demonſtrante te probat ipſe quæ ſit voluntas tua, quod bonum & beneplacitum & perfectum, & doces eum jam capacem videre unitatem Trinitatis, & Trinitatem unitatis.*

Cap. 8. 4. *Satis oſtendis quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo ſufficit,* QUIDQUID TE MINUS EST, *ac per hoc, nec ipſa ſibi.*

5. Et

5. *Et in ipſâ miſera inquietudine defluentium ſpirituum & indicantium tenebras tuas nudatas veſte luminis tui ſatis oſtendis.*

6. *Defluxit Angelus, defluxit anima hominis & indicaverunt abyſſum. Niſi dixiſſes ab initio fiat lux & facta eſſet lux & inhæreret tibi omnis obediens intelligentia civitatis tuæ.*

7. Sic oportebat hominem fieri, ut & benè velle poſſet & malè. Nec gratis ſi benè, nec impunè ſi malè.

8. Fecit Deus ſicut ſcriptum eſt hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Bona igitur voluntas opus eſt Dei; cum eâ quippè factus eſt homo.

9. Sic factus eſt homo rectus, ut & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adjutorio divino.

10. Supra illam tamen rectitudinem dederat & adjutorium, ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet, non quo fieret ut vellet.

11. Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini cum primùm facti ſunt, defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Quomodò ergo ceciderunt ſi prædeterminati non ſunt qui prædeterminati debuiſſent ut velle potuiſſent?

12. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt. Ex quo ſi inferas parem in utroque ſtatu gratiam, hoc eſt merè ſufficientem: deducam & ego non impar in eodem ſtatu auxilium dari, daboque vel reluctanti auxilium infirmæ purè intellectuale voluntati: cum tamen fortiſſimo dimiſerit atque permiſerit facere quod vellet, infirmis ſervarit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.

REFLEXIO.

T*Vnc dederat homini Deus bonam voluntatem: in illâ quippe eum fecerat, qui fecerat rectum,* inquit Aug. de corrept. & grat. c. 11. Hanc bonam voluntatem à perſeverandi in eâ, Deo opitulante, poteſtate non diſcrevit Tricaſſinus, & ideò dum commendat gratiam ab extrinſeco efficacem, quam ſervat infirmo, inflat gratiam quam tribuit ſano, ut non injuriâ ambigas, an ſanum hominem non æquet infirmo, & hoc ex ipſo quo nititur Auguſtino.

Quam dederat Deus & quomodò, mi Tricaſſine homini bonam voluntatem, qui ſolum illuſtraverat intellectum? an non eandem ſuo faceret imperio, induceret conſilio? ut ut ſit, ſi ſui ſimilis tibi ſtet ſententia, ea fuit voluntas bona quam per ſolum extrinſecum intellectûs auxilium operatus eſt Deus bonus. Hoc ſcilicet erat quo fieret ut benè vellet, & ſine quo velle non poſſet. Hoc commune fuit & Angelis, te authore. Sub hoc ergo Angeli ſteterunt boni. Ab hoc delapſi ſunt mali, & malorum exempla ſecutus factus per idem voluntatis arbitrium homo malus. Efficax erat pro ſecuta bona voluntate, ſufficiens pro habendi & retinendi poteſtate intellectûs illuſtramentum. Ampliori quo eguit Angelus ſubſidio quam bonæ voluntatis in quâ creatus eſt ſicut homo rectus? Verùmtamen à bona voluntate auxilium ni diſcrimines iſtud, ſub quo ſtare potuit aut cadere homo Angeluſque, fauces premet Auguſtinus ille tuus, ſcilicet cum poſt bonam voluntatem Adamæam ſubnectit continuò: *Dederat & adjutorium ſine quo non poſſet in eâ permanere ſi vellet.*

CONFESSIO VIII.

DE STATU NATURÆ PURÆ.

HUnc ſtatum non modo poſſibilem fore; ſed etiamnum à Conditore omnium eſſe inſtitutum, Pelagianorum fuêre placita, ut proclive nimium ſit apodicticis id fulcire argumentis. In hoc rerum ſtatu (ſic enim originalis noxæ hoſtibus collubitum fuit) ii ſaltem erant parvuli, qui cum eſſent imagines Dei, & opera Dei, adoptionis lavacro non fiebant pignora Dei. His propterea nullam rebantur eſſe pœnam alienari à vita, à Regno Dei, quamvis in nullo trangreſſa legem Dei: nec eſſe damnationis pœnam, nec tantæ imaginis contumeliam, ſi in vas honoris neutiquam aſſumeretur. Scilicet quia nativâ, quæ puræ naturæ propriâ dos eſt, ſecum beatitate fruebatur. Hunc naturalis puritatis ac beatitatis Paradiſum vel ſemel ingreſſus conceſſione liberâ, quâ demum ratione culpæ originalis impuritatem quibat evincere? An non vitrea omnia Auguſtini tela pro noxa originali hoſtibus nocitura nihil? Nihilone amplius valitura omnia ex gravi jugo filiorum Adæ adducta Machinamenta? An non contra omnipotentiam, tua toties, Auguſtine, decertabit juſti-

 tia,

tia, ſi Deus & potuit & voluit facere miſeros, quos non reperit reos? Quæ interim de hoc ſtatu ſenſiſſe viſus ſis mihi, ſic confitebor, ut non magis ego, quam tu confeſſus videaris.

L.1.c.1. Itaque *Feciſti nos ad te* (Deus) *Et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcas in te.*

Lib.13. cap.8. 2. *Hoc ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in meipſo, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.*

Lib.8. cap.16. 3. *Verſa & reverſa & in tergum & in latera & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.*

Lib.13. cap.8. 4. *Satis oſtendis quam magnam creaturam feceris, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quidquid te minus eſt, ac per hoc nec ipſa ſibi.* Et tamen.

5. *Numquam explicant iſti* (Pelagiani) quâ juſtitia nullum peccatum habens imago Dei ſeparetur à regno Dei.

6. Quid ſi alius dicat non eſt imago Dei? quæ nulli rea peccato non tamen intrat in regnum Dei, nonne quid reſpondeas non habebis?

7. Itanè tu reſponſurus es non ſolum magna non eſt, ſed nulla omninò pœna eſt imaginem Dei numquam poſſe intrare in regnum Dei?

8. Subvenire non merentibus poteſt & ſolet Deus cum laude clementiæ: punire autem non peccantes non poteſt ſine everſione juſtitiæ.

9. Judicia Dei vos evertitis, qui generis humani miſerias incipientes à parvulis ſine ullo peccati merito fieri dicitis.

10. Tanta miſeria eſt, ut qui eam negant, majorem partem ſibi vendicent humanæ miſeriæ.

11. Hujus evidentia miſeriæ Gentium Philoſophos nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes ſive credentes compulit dicere ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſa nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus eo ſupplicio quo Hetruſci prædones captivos affligere conſueverunt, tamquam vivos cum mortuis eſſe conjunctos.

12. Quas miſerias cum vos ſine ullo peccato accidere dicitis parvulis, injuſtum Deum adverſus eos facitis. Manichæos autem horribiliter adjuvatis.

13. Numquidnam ſicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in uſus dari naturis excellentioribus etſi vitioſis, ſicut apertiſſimè videmus porcos ad uſum deſideratum conceſſos eſſe dæmonibus: hoc & de homine rectè poſſumus dicere?

14. Animal eſt enim, ſed rationale. Anima eſt rationalis in illis membris, quæ tantis affectionibus pœnas luit. Deus bonus eſt, Deus juſtus eſt, Deus omnipotens eſt, de hoc dubitare omninò dementis eſt.

15. At, inquiebat Julianus, *abſolvis Sues, Aſinos & Canes, ut Manichæos vitare videaris.*

16. Nonne accuſator ſanctorum, & Patronus aſinorum, ab homine hujus cordis, cujus es tu, appellari poſſet, qui diceret: *Ignorantiâ veritatis homines miſeros poſſe, aſinos verò neſciendo veritatem miſeros eſſe non poſſe?* Cur ergo non intelligis ſimiliter?

An ideo arbitraris effugere inſequentes plagas authoritatis atque rationis, quia in ſocietate libidinis ad currum erroris tui homines & aſinos jungis? Sic ergo in libidine agnoſce & pecoris naturam & hominis pœnam, ſi animam non habes aſininam.

17. Erubeſce beatitudo Pelagianorum, & vide quò fugias, quia caſti te fugiunt.

18. Imple paradiſum pomis libidinum, & tot ac tanta mala, quæ perpeti videmus infantes, tamquam non ſint pœnales dolores, ſed vernales odores, per illa felicia prata diffunde.

REFLEXIO.

Auguſtino ex Apoſtolica phraſi gratiam evincenti Julianus reſpondit: *Ad incurvandam circumciſorum arrogantiam ſub nomine gratiæ, Apoſtolus, de ſola Dei præjudicat poteſtate.* Cui adpoſitè regeſſit Auguſtinus: *Ergo ad incurvandam circumciſorum arrogantiam ſub nomine gratiæ mentitur Apoſtolus.* De Auguſtino adeò reverens fuit Morainiana opinio, ut eum ex hujuſce vitæ miſeriis originale probando peccatum exceſſiſſe pronuntiet: videlicet *fervore diſputationis abreptum, & odio hæreſis Pelagianæ ad contrarium extremum declinaſſe.* Cui adcommodatius reſponderi poteſt nihil, quam quod pro Apoſtolo Auguſtinus: ergo ad incurvandam Pelagianorum pervicaciam ſub nomine miſeriarum mentitus eſt Auguſtinus. Quod ſi placitum ſit conſectarium, eodem acinace non modo Africanam

canam in Sardinia exulum, ſed & Arauſicanam Synodum, quin & ipſum Gelaſium Papam ferire ſi lubet, lubet. Quis non ſtupeat equidem Auguſtinum capitalem noluiſſe purgare nævum, ubi vel de minimo *erroris* famine ſupereſſe voluit nihil, dum minutiſſima etiam retractavit? Abſit hoc à vero amoris illius ordine, cui fixum ſtabat: *Nimis perversè ſeipſum amat, qui & alios vult errare ut ſuus error lateat.* Epiſt. 2.

CONFESSIO IX.

DE STATU NATURÆ LAPSÆ.

1. *NVmquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram? medicus es, æger ſum, miſericors es, miſer ſum.* Lib. 10. cap. 28.

2. *Et tota ſpes mea non niſi in magna valdè miſericordia tua.* cap. 29.

3. *Confiteor nomini tuo: quoniam tanta mihi dimiſiſti mala, & nefaria opera mea.* L. 2. c. 7.
Gratiæ tuæ deputo & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem ſolviſti.

4. *Gratiæ tuæ deputo & quæcumque non feci mala, & omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.*

5. *Quis eſt hominum qui ſuam cogitans infirmitatem, audet viribus ſuis tribuere caſtitatem & innocentiam ſuam: ut minus amet te, quaſi minùs ei fuerit neceſſaria miſericordia tua, qua donas peccata converſis? non me derideat ab eo medico ægrum ſanari, à quo ſibi præſtitum eſt ut non ægrotaret, vel potius minùs ægrotaret.* L. 2. c. 7

6. *Cum æternitas delectat ſuperiùs & temporalis boni voluptas delectat inferiùs, eadem anima eſt non totâ voluntate illud aut illud volens, & ideo diſcerpitur gravi moleſtiâ, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit.* Lib. 8. cap. 10.

7. *Sic ægrotabam & excruciabar volvens ac verſans me in vinculo meo donec abrumperetur totum quo jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen, hæſitans mori morti & vitæ vivere; pluſque in me valebat deterius inolitum, quam melius inſolitum.* cap. 11.

8. *Voluntas autem nova quæ mihi eſſe cœperat ut te gratìs colerem, fruique te vellem... nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Fruſtra condelectabar legi tuæ ſecundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captivum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo etiam in eam volens illabitur.* L. 8. c. 5

9. *Cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur; & ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit; differt tamen plerumque homo ſomnum excutere, cum gravis torpor in membris eſt, eumque jam diſplicentem carpit libentius, quamvis ſurgendi tempus advenerit: ita certum habebam eſſe melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere.*

10. *Sed illud placebat & vincebat, hoc libebat & vinciebat.*

11. *Non enim erat quod tibi reſponderem dicenti mihi: ſurge qui dormis, niſi tantum verba lenta & ſomnolenta.*

12. *Omnia, inquit, poſſum in eo, qui me confortat. Da quod jubes & jube quod vis. Tota ſpes mea non niſi in magna valde miſericordia tua. Audivi alium rogantem ut acciperet: aufer à me concupiſcentiam ventris; unde apparet, ſancte Deus, te dare cum fit, quod imperas fieri.*

13. *Ego verò quibus tentationibus reſiſtere valeam, quibuſvè non valeam, neſcio. Et ſpes eſt*, QUIA FIDELIS ES, QUI NON SINIS TENTARI SUPRA QUAM POSSUMUS FERRE, *ſed facis cum tentatione etiam exitum, ut poſſimus ſuſtinere.* Cap. 5.

14. *Noli eſſe vana anima mea: audi & tu, verbum ipſum clamat, ut redeas: & ibi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi* NON DESERITUR AMOR, SI IPSE NON DESERAT. Lib. 4. cap. 11.

15. Bene eſt. Habemus divinæ gratiæ Auguſtinianam confeſſionem, non Pelagianam aut ſemipelagianam liberi arbitrii inflationem. *In eis dixi, Deo noſtro ſæpe dixi: da quod jubes & jube quod vis. Quæ mea verba, Pelagius Romæ cum à quodam fratre Coëpiſcopo meo fuiſſent eo præſente commemorata, litigavit.* Inquit Aug. l. de bono perſever. c. 20. Quonam illa Tricaſſinus excipiat animo jure ambigo, an non litigioſo, ne dicam Auguſtino injurioſo, ſcilicet pag. 28. de grat. efficaci, oſtenſurus breviter & dilucidè Auguſtinum longe

abfuiſſe *ab iſta opinione de gratia efficaci à ſe ipſa, ut non minùs averſatus eam fueris quam errorem ipſum Pelagianum.* Fallor ſi non eandem contra efficacem à ſe ipſâ gratiam querimoniam cieat, quam olim Maſſilienſes. Ecquid Maſſilienſes? *Removeri omnem induſtriam telliquè virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas praveniat voluntates. Item hoc propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundùm quod placuit creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre: eo quod utrâque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ ratione poſſit excidere.*

16. Quid verò cauſatur hic Tricaſſinus? *cum hinc profluat neglectus propriæ ſalutis, proinde cultus divini, quem ſolent homines exhibere Deo propter ſpem ſalutis & propter metum damnationis æternæ.*

17. Queratur, ſi lubet, & te illacrymante fletibus ſuis gratiam efficacem aſpergat tuus ille luxurioſus & dicat: *Quando Deus dabit mihi gratiam efficacem à ſe ipſa, ſine dubio convertar ad Deum indeclinabiliter & inſuperabiliter: interim fruar bonis. Non relinquam delectationes meas carnales donec eam Deus det mihi.* Sic & olim ex gratia contra correptionem, & è correptione contra gratiam argumentatos fuiſſe aut ignoras, aut ignorare te fingis, cum Auguſtinum interim ſolus intelligere videare mi Tricaſſine. An non aperta eſt objectio: *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & ut faciamus orent pro nobis, nos autem non corripiant & arguant, ſi non fecerimus: & quomodo meo vitio non habetur quod non accepi ab illo, à quo, niſi detur, non eſt omnino alius unde tale ac tantum munus habeatur?* Et nihil hæc Auguſtinum, nil me tua, Tricaſſine, remorantur querula conſectaria. Quin & alia obtorto collo in gratiam tuam ab extrinſeco efficacem regeram, utpote quam & ſine meritis & ex altitudine divini conſilii uni præparatam, alteri aſſeris denegatam. Quamvis enim luxurioſus tuus ſe poſſe ad meliorem frugem recipere cognoverit, non equidem animo fixum ſtabit, quod poterit reſurgere cum effectu, quia neſcit an præter ſufficientem, gratiam congruam Deus de theſauris dominicis depluet, neque de finali perſeverantiâ ſe reddet ſecurum: cum viderit multos gratia ſufficienti inſtructos ab extremâ excidiſſe ſalute.

REFLEXIO.

Pervenerunt (Maſſilienſes) *ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant:* inquit Aug. de Prædeſt. SS. c. 1. & de Bono perſev. *Inter initium autem fidei & perfectionem perſeverantiæ media ſunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipſi etiam donari nobis à Deo fide impetrante conſentiunt.* Ita quidem ſemipelagiani. Et non arbitraris à Pelagianis in hac parte fuiſſe diſcretos? *Reſecta iſta*, inquit Auguſt. de Prædeſt. SS. c. 1. *plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt.* Et eſt qui alium nobis perſonat Auguſtinum, qui contra Auguſtinum Semipelagianos cum Pelagianis confundit. Tricaſſinus, inquam, qui citatis Auguſtini l. de Hæreſ. Hæreſi 88. verbis de errore Pelagianorum: *ex quo patet, inquit, quam longè aberant prædicti Pelagiani & Semipelagiani de vi & efficacia gratiæ in voluntate neceſſaria. Cum nullam prorſus gratiam in voluntate neceſſariam admitterent.* Et *Pelagiani*, teſte Aug. loco cit. *charitatem dari negant quâ prævenitur.* Semipelagiani, teſte eodem l. de bono perſever. c. 21. *Media illa inter fidem & perſeverantiam, quibus rectè vivimus, ipſi etiam donari nobis à Deo fide impetrante conſentiunt.* En quos Auguſtinus tanto intervallo diſcriminat, Tricaſſinus conjungit. Fortunent ſuperi, ut & Auguſtinum cum Molinâ ſic confœderet.

CONFESSIO X.

DE VITA BEATA.

Lib. 10. cap. 20. *Nonne ipſa eſt vita beata quam omnes volunt & omninò qui nolit, nemo eſt? audimus nomen hoc, & rem ipſam omnes nos appetere fatemur. Nota eſt igitur omnibus, quia unâ voce ſi interrogari poſſent, utrum beati eſſe vellent, ſine ulla dubitatione, velle reſponderent.*

2. Quod

2. *Quod non fieret, niſi res ipſa, cujus hoc nomen eſt eorum, memoriâ teneretur.* cap.21.

3. *Sed quid eſt hoc? quod ſi quæratur à duobus utrum militare velint, fieri poſſit ut alter eorum velle ſe, alter nolle reſpondeat? ſi autem ab eis quæratur utrum beati eſſe velint, ut uterque ſtatim ſine ulla dubitatione dicat optare, nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iſte nolit, niſi ut beati ſint? quoniam alius hinc, alius inde gaudet, ita ſe omnes beatos eſſe velle conſonant, quemadmodum conſonarent, ſi hoc interrogarentur, ſe velle gaudere: atque ipſum gaudium vitam beatam vocant. Quod ſi & alius hinc, alius illinc aſſequitur, unum eſt tamen quo pervenire nituntur, ut gaudeant. Quæ quoniam res eſt, quam ſe expertum non eſſe nemo poteſt dicere, propterea reperta in memoria recognoſcitur, quando beata vita nomen auditur.*

4. *Si omnes immortales & in perpetua corporis voluptate ſine ullo amiſſionis terrore viveremus, cur non eſſemus beati, aut quid aliud quæreremus? R. ô Tortuoſas vias! væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram.* Lib. 6. cap.16.

5. *Quia feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* L.1.c.1

6. *Et ipſa eſt vita beata gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt enim & non eſt altera, qui autem aliam putant eſſe, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudii voluntas eorum non avertitur.*

7. *Non ergo certum, quod omnes eſſe beati volunt: quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ ſola vita beata eſt, non utique vitam beatam volunt.*

8. *Quære ab omnibus utrum malint de veritate, quam de falſitate gaudere? tam non dubitant dicere de veritate ſe malle, quam non dubitant dicere beatos eſſe ſe velle. Hoc eſt gaudium de te, quæ veritas es, Deus illuminatio mea. Hanc vitam beatam omnes volunt; hanc vitam quæ ſola beata eſt omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Cur ergo non de illa gaudent? cur non beati ſunt? Quia fortiùs occupantur aliis, quæ potius eos faciunt miſeros, quam illud beatos, quod tenuiter meminerunt.*

9. *Rapidâ cogitatione attingimus æternam ſapientiam ſuper omnia manentem. Si continuetur hoc & ſubſtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis & hæc una rapiat & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum: ut talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui ſuſpiramus. Nonne hoc eſt intra in gaudium Domini tui? Et iſtud quando? an cum omnes reſurgemus? ſed non omnes immutabimur.* L.9. c. 10.

10. *Nebridius meus vivit dulcis amicus meus: ibi vivit, jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro aviditate ſuâ ſine fine felix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviſcatur mei, cum tu Domine, quem potat ille, noſtri ſis memor.* cap. 3.

11. *Quoniam tu Deus diligenti te, quantùm præcipis, oſtendis ei te, & ſufficis ei, ideò non declinat à te, nec ad ſe.*

12. Malum tunc animum tentare non poterit, quando tantâ ſatiabitur viſione, & tantâ inflammabitur charitate, ut ad ſeipſum ſibi placendo deficere ab illius dilectione non poſſit. Nec ideò liberum arbitrium non habebit, quia peccata eum delectare non poterunt; magis quippe erit liberum à delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.

13. Verùm hoc quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ. Aliud eſt eſſe Deum, aliud participem Dei. Deus naturâ peccare non poteſt; particeps verò Dei ab illo accipit, ut peccare non poſſit. Lib.10. cap.21.

14. Servandi autem erant gradus Divini muneris, ut primum daretur, quo non peccare poſſet homo: noviſſimum, quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.

15. *Vita beata non videtur oculis, quia non eſt corpus.* Hanc oculus videre corporis, neque nunc poteſt, neque tunc poterit, nec habebit aliquid menti ſimile, quo & incorporea natura immediatè cernatur.

16. In qua menſura ſtaturâque reſurrectura ſint Beatorum corpora, difficile eſt demonſtrare: in ſuo tamen quemlibet ſexu reſurrecturum non auſim dubitare.

REFLEXIO.

Paulus Apoſtolus cùm terreret homines, non parvulos non baptizatos, ſed ſceleſtos, facinoroſos, contaminatos, perditos, non eos terruit, quod erunt in igne ſempiterno, quò ſine dubio ibunt, ſi non corrigantur; ſed tantùm terruit, quia IN REGNO NON ERUNT, *ut, cùm viderint ſe perdere ſpem regni, non viderent eſſe conſequens, niſi pœnam ignis æterni. Nolite,* inquit, *errare neque fornicatores, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt. Subtractâ dexterâ, non remanet niſi ſiniſtra. Vndè autem evadunt ab igne ſempiterno? Non ob aliud niſi quia erunt in regno.* Sequitur: *& hæc quidem fuiſtis. Et undè jam non ſunt? ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti. Non enim eſt aliud nomen ſub cælo in quo oporteat nos ſalvos fieri. Pace eorum dicam: qui cuiquam ſalutem promittis ſine Chriſto, neſcio utrùm ipſe poſſis ſalutem habere in Chriſto.* Ita S.Aug. Serm.14. de verb. Apoſt. c.4. Et ego pace eorum dicam, qui aliquos tantùm philoſophicorum reos peccatorum ab igne ſalvant æterno, neſcio an contra Pelagianos bella moveant, pacemque teneant cum Auguſtino. Et verò nonnè exarmatur Auguſtinus, ſi ei vel pro adultis locus inter regnum & ignem obtruditur medius?

CONFESSIO XI.

DE VIA VITÆ ÆTERNÆ SIVE MEDIATORE D.N.J.C.

1. *Beatam vitam quæritis in regione mortis: non eſt illic. Quomodò enim beata vita,*
L. 4. c. 12. *ubi nec vita? Deſcendit huc vita noſtra, & tulit mortem noſtram, & occidit eam de abundantia vitæ ſuæ, & tonuit clamans, ut redeamus hinc ad eum, in illud ſecretum, undè proceſſit ad nos veniens in ipſum primum virginalem uterum, ubi ei nupſit humana creatura caro mortalis nec ſemper mortalis. Et indè velut Sponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam. Non enim tardavit, ſed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vitâ, deſcenſu, aſcenſu, clamans ut redeamus ad eum & diſceſſit ab oculis, ut redeamus ad cor & inveniamus eum.*

Potuimus putare verbum tuum remotum eſſe à conjunctione hominis, ET DESPERARE DE
L. 10. c. 43. NOBIS, *niſi caro fieret & habitaret in nobis.*

2. QUEM INVENIREM, *qui me reconciliaret tibi? Mediator autem inter Deum & homi-*
c. 42. *nes oportebat, ut aliquid haberet ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus: ne in utroque hominibus ſimilis, longè eſſet à Deo, aut in utroque Deo ſimilis, longè eſſet ab hominibus, atque ità Mediator non eſſet.*

cap. 43. *Vt quoniam ſtipendium juſtitiæ eſt vita & pax, evacuaret mortem juſtificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demonſtratus eſt antiquis Sanctis. Vt ita ipſi* PER FIDEM FUTURÆ PASSIONIS *ejus, ſicut nos per fidem præteritæ ſalvi fierent. In quantum enim homo, in tantum Mediator; in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo & Deus apud Deum… Quomodò nos amaſti, Pater bone, qui Filio tuo unico non pepercisti, ſed pro nobis impiis tradidiſti? quomodò nos amaſti, pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis tibi, factus eſt ſubditus uſque ad mortem, mortem autem crucis? unus ille in mortuis liber poteſtatem habens ponendi animam ſuam & poteſtatem habens iterùm ſumendi eam?*

3. *Pro nobis victor & victima: & ideò victor,* QUIA VICTIMA: *pro nobis tibi Sacerdos & Sacrificium, & ideò Sacerdos quia Sacrificium, faciens tibi nos de ſervis filios, de te naſcendo, nobis ſerviendo.*

4. *Meritò mihi ſpes valida in illo eſt, quod ſanabis omnes languores meos. Multi enim & magni ſunt languores mei, ſed major & amplior eſt medicina tua.*

Lib. 7. cap. 20. *Niſi in Chriſto Salvatore noſtro viam quærerem, non peritus ſed periturus eſſem:*

5. *Vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod eſt Chriſtus?*

cap. 18. *Non enim tenebam Dominum meum Ieſum Chriſtum humilis humilem: nec cujus rei magiſtra eſſet ejus infirmitas, noveram. Verbum enim tuum, æterna veritas ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſam: in inferioribus autem ædificavit ſibi humilem domum de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſeipſis, & ad ſe traheret ſanans tumorem & nutriens amorem, ne fiduciâ ſuâ progrederentur longiùs, ſed potius infirmarentur videntes ante pedes ſuos infirmam divinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ, & laſſi proſternerentur in eam, illa autem ſurgens levaret eos.*

CON-

CONFESSIONES THEOLOGICÆ
MORALES.
CONFESSIO AUGUSTINIANA.
PRIMA.
DE ACTIBUS HUMANIS.

1. *VIdemus hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam factum cunctis ir-* Lib. 13.
rationabilibus animantibus ipſa tua imagine ac ſimilitudine, hoc eſt ra- cap. 32.
tionis & intelligentiæ virtute præponi. Præſtantique intellectui rationa- cap. 34.
bilem actionem tamquam viro feminam ſubdidiſti.

2. Habet ſanè voluntas quocumque ſe volverit, ſemper rationem comitem & quodammodò pediſſequam: non quod ſemper ex ratione, ſed quod numquam abſque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ſeipſam contra ſeipſam, hoc eſt, quaſi per ejus miniſterium contra ejus conſilium ſive judicium: unde eſt illud:
prudentiores ſunt filii hujus ſæculi, filiis Lucis in generatione ſua. Et rurſum: *ſapientes ſunt* Lib. 11.
ut faciant mala. Neque enim prudentia ſeu ſapientia ineſſe creaturæ poteſt, vel in malo, cap. 16.
niſi utique per rationem.

3. Eſt verò ratio data voluntati ut inſtruat illam, non deſtruat: deſtrueret autem ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quo minus liberè pro arbitrio ſeſe volveret ſive in malum conſentiens appetitui aut nequam ſpiritui, ſive ad bonum gratiam ſequens.

4. Ubi quippe neceſſitas, jam non voluntas. Quod ſi ex neceſſitate, & abſque conſenſu propriæ voluntatis, mala bonave fieri poſſet rationalis creatura; aut miſera profectò eſſe aut beata pœnitus eſſe non poſſet: cui nimirum in utravis parte id deeſſet, quod ſolum in ea miſeriæ ſive beatitudinis capax eſt, id eſt, voluntas. Excepto ſane per omnia originali peccato, quod aliam conſtat habere rationem. Proinde pecoris ſpiritus ſalutem minimè capit, eo quod illi voluntarius conſenſus deſit, quo ſalvanti videlicet Deo placidè obtemperet ſive jubenti acquieſcendo ſive pollicenti credendo ſive reddenti gratias agendo.

5. Enimverò aliud eſt voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus. Conſenſus voluntarius nos à beſtiis diſcernit: eſt enim habitus animi liber ſui: ſiquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis non neceſſitatis. Nec negat ſe, nec præbet cuiquam niſi ex voluntate; alioquin ſi compelli valet invitus, violentus eſt non voluntarius; ubi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Ipſe liber ſui propter voluntatem; ipſe judex ſui propter rationem. Is ergo talis conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis, quod ſemper ſecum portat & ubique indeclinabile judicium, non incongruè (ut arbitror) dicitur liberum arbitrium. Quidquid hanc non habet voluntarii conſenſus libertatem, proculdubio & merito caret ter judicio. Ipſam voluntatem impoſſibile eſt ſua privari libertate. Poteſt quidem mutari voluntas, ſed non niſi in aliam voluntatem, ut numquam amittat libertatem.

6. Eſt compulſio quædam activa, ſed non habet excuſationem, cum ſit & voluntaria. Cogebatur Chriſtianus negare Chriſtum & quidem dolens, non tamen niſi volens: volebat nimirum gladium vitare ferientis, atque illa talis voluntas intùs præſidens os aperiebat non gladius qui foris apparebat. Porrò talem eſſe illam voluntatem convincebat gladius, non cogebat. Ipſa igitur ſe culpa, non gladius impellebat.

7. Petrus, ſi Chriſtum non amaſſet, non negaſſet invitus: verùm ſi ſe ampliùs non amaſſet, non aliquatenus negaſſet. Peccavit ergo & non abſque conſenſu propriæ voluntatis infirmæ quidem & miſeræ, ſed tamen liberæ. Peccavit non ſpernendo aut odiendo Chriſtum, ſed minùs amando. Nec in hunc perverſum amorem ſive voluntatem metus ille ſubitus compulit, ſed eſſe convicit. Quatenus ergo Chriſtum diligebat vim prorſus (quod negandum non eſt) paſſa eſt illa voluntas, ut contra ſe loqueretur: quatenùs verò ſe, voluntariè proculdubio conſenſit, ut pro ſe loqueretur. Alioquin quomodo vox mulierculæ linguam ſacram in verba formare nefanda valuiſſet, ſi non linguæ domina voluntas annuiſſet?

8. Paſſiva compulſio nonnumquam fieri poteſt abſque conſenſu voluntario patientis, ſed activa numquam. Proindè malum quod fit in nos, ſive de nobis, non imputandum nobis, ſi tamen invitis. Cæterùm quod fit & à nobis, jam non ſine culpa eſt voluntatis.

Lib. 8. cap. 10. 9. *Ego cum deliberabam, ut jam ſervirem Domino Deo meo, ego eram qui volebam: ego eram qui nolebam: ideo mecum contendebam & diſſipabar à meipſo. Iam non dicant cum duas voluntates in homine uno adverſari ſibi ſentiunt, duas contrarias mentes de duabus contrariis ſubſtantiis & de duobus contrariis Principiis contendere, unam bonam, alteram malam. Nam ſi tot ſint contraria naturæ, quot voluntates ſibi reſiſtunt, jam non duæ, ſed plures erunt.*

10. Exceſſum malæ voluntatis cur damnas, ſi non improbes motum? Cur concupiſcentiæ conſentire malum, ſi concupiſcentia non eſt mala? Non itaque ſunt boni vel mali mores noſtri, quia liberi; quamvis laude aut vituperio non ſint digni niſi agentes liberi.

11. Lex æterna, undè omnis amoris ordo & pax, & rationem humanam dirigit, & actionem, etiam ipſi legi æternæ materialiter adverſantem.

12. Hæc regula Lesbiam non agnoſcit probabilitatis maximam: nec admittit reflexum principium, quod evidenter petit principium. Tutiori graditur viâ, hoc eſt tutâ, vel ſi mavis, à morali labendi periculo immuni.

13. Non ſinit voluntatem ita in medio conſiſtere ut ſi bona non ſit, mala non ſit. Non ſinit voluntatem frui creaturâ, niſi cum corruptione fruentis.

14. Non admittit veram juſtitiam, cujus dominam repererit avaritiam. Et in hoc damnat Julianum, quod quamvis peccari concederet, virtutes libidini ſervientes nominis ac generis diſpendium ſuſtinere negaret. Damnat bona officia damnabili ex cauſa facta: non damnat officia bona, quia optimo fine deſtituta, ſicut nec laudat ideo, quod à multis ſint malis cauſis ſeparata.

15. Cum tamen in ſuum non referuntur Authorem dona Dei etiam virtutum officia, ex hoc ipſo agentes injuſtos fieri humanorum actuum ordinatiſſima gubernatrix pronuntiat. Quare non injuriâ Juliano exprobatum legimus: *Videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona*, & (nota hoc ſanæ mentis judicio de virtutibus ad peccata relatis intelligi non poſſe) SINE ULLO FACTA PECCATO. *Quod ad me pertinet, ſcio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis atque impia non eſt bona. Dicantur ſecundum te hujuſmodi voluntates arbores bonæ, ſufficit quod apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc non bonæ.*

16. Gratamur ſuperis, quorum auſpiciis dum contra Julianum egimus, nos à Baio longo intervallo diſcrevimus; nec ideo tamen Julianiſmi notam inuſſimus his, qui nos Baianiſmi honore vel eminùs ſaltem dignari non ſunt gravati. Sicut oſculum columbinum gratanter ſuſcipit pulcherrima & modeſtiſſima Charitas, ita dentem caninum vel evitat modeſtiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas. O veritas! Quid tua non extorſit claritas? Antidhac de officiis nil ſcriptitarat Baius, de officiorum ob ultimi orbationem finis infectione nil ſenſerat Baius, ſed totus nobis conſenſerat Baius. Solum fruentem in virtutum Dominum non referentem dona Dei culparat Baius, ſarta tecta virtutum hujuſmodi officia nobiſcum contutabatur Baius. Hoc ſolo (ſed non æquis judicibus) vaticano fulmine percullus hiſcere non poterat amplius, quod nobiſcum doceret omnia ex charitate in Deum ex *præcepto eſſe referenda*. Quid reſtabit amplius, ſi ſic charitas in odium venit? Deo Laus. Non hoc docet amplius (pro quo tamen ô quantò ab adverſantibus jure certatum videbatur, quantoque conatu hanc à nobis amoliebamur invidiam!) toties ſi non decantatus, declamatus ille Baius. Jam docet *officia* (& verum eſt) in Deum non relata *eſſe vitia*: Et tamen necdum Baianos evaſimus ſcopulos. Lætamur equidem quod non, ut hactenus, directo tramite in eos incurrimus. Per obliqua vel inviti trahimur in eos conſectaria; pertrahendi numquam. Nam vel cæcus eſt qui non videat quanto ab invidioſis hiſce ſcopulis intervallo doctrinæ portus noſtræ dividatur. Demonſtratum eſt evidentiùs, quàm ut rebus non neceſſariis neceſſarium tempus abſumamus.

17. Damnatum eſt, inquit eruditus oppoſitæ ſcholæ Præſes anno 1680. 24. Julii Theſi 7. *In ſenſu Baii, quod omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa ſit cupiditas aut laudabilis charitas* &c. Hoc judice in ſenſu Baii damnata eſt propoſitio; atqui ſenſus noſter non eſt Baii, ut oſtenſum eſt affatim, ergo nil nos remoratur dicta Baiana. Deſinant ergo Baianiſmum nobis oggerere, cum nondum viderint Baium in nobis reviviſcere.

RE-

REFLEXIO.

ELapſi anno 26. Novemb. Theſi 8. ſub finem legimus: *Poteſtne homo in hoc ſtatu ſine ſupernaturalis gratiæ auxilio elicere actus aliquos naturales moraliter bonos nullo pravo fine aut circumſtantiâ vitiatos? Suadere id poteſt hujus articuli famoſa damnatio, liberum arbitrium ſine gratia Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet, nec id Auguſtini poteſt diſſuadere, niſi malè intellecta authoritas.* Imò id diſſuadet à damnatæ ſenſu diſpari benè intellecta authoritas Auguſtini, qui ſicut haud ſuffragatur Authori damnatæ, ita adverſatur non æquo damnatæ Interpreti. Compendii loco ſit vel unum caput 3. de ſpir. & litt. Quid igitur, *inquit* Author theſios, ad illud Arauſicani, *neminem habere de ſuo niſi mendacium & peccatum? Nonnè id pugnare videtur cum damnatione hujus articuli Baiani:* (ſic aſſolet Author nominari præ aliis ſive ab Alexandro VII. ſive ab Innoc. XI. perſtrictis) *Liberum arbitrium ſine gratia Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet? Abſit.* Abſit omninò: non enim veritas damnat, quod antè probaverat. *Ingens enim Chaos interjacet inter aſſertionem Concilii Arauſicani, & inter ſenſum articuli Baiani.* Ingens Chaos definitionem à condemnatione dividit. Non ideò ſe definitio à nobis dividit, qui liberum arbitrium ſine Charitate non niſi ad peccandum, hoc eſt, ſaltem cum peccato agendum valere cum Auguſtino aſſerimus incunctanter. Sed à te quiſquis hoc negas, quomodò non diſſideat, oſtenſum aveo. Te Authore valet homo in hoc ſtatu ſine ſupernaturalis gratiæ auxilio elicere actus moraliter & uſquequaque bonos ab omni famine emaculatos: Arauſicano Judice nemo de ſuo habet *niſi mendacium & peccatum.* Te ergo conjunge Arauſicano, ſicut me ſejungo à Baio. Quin ex ipſo, quod contra me profers, Arauſicano, oſtendo me nîl commune habere cum Baio, quia conſectarium quod contra me ex me facis de vitio operis ex operantis vitio, penitùs evaneſcit, dum non me potiùs quàm Arauſicanum niteris reddere Baianum. Nam teſte Arauſicano, homo *de ſuo non habet niſi mendacium & peccatum*; ergo ſi agentis vitium dimanet ſemper in officium, omne officium ſine gratia factum erit vitium, & omne ſine Charitate erit peccatum; ergo Arauſicanum erit Baianum, ſive Baiano errore reſperſum. Et hoc omninò abſit.

ALIA.

THeſi inſequenti ita Baium laudat idem Author dilaudatque, ut noſtram doctrinam quam ex antecedenti Baii perſtringere non poteſt, è laude ſua, hoc eſt, conſequentiæ ſuæ, opprobrio objiciat. Ita nimirùm ad ignominiæ nauſeam proclamatus Baius legitimam, quamvis ex malo principio, modo exſculpit conſequentiam. Eccur legitimam? Quia nobis inimicam, & ſibi amicam rati ſunt adverſarii. *Baius,* inquit, *in iis quæ malè docuit, vitandus eſt, non etiam in iis, quæ docuit benè, accuſandus.* Manus damus non reluctanter. Sed amabo, quid ad propoſitum de virtutum officiis Baius docuit *benè*, & de quo accuſatur malè? Docuit benè, quia officia virtutum Deo conſecranda cenſuit? Ergo & nos benè. Docuit benè quia non relata officia vitia eſſe tradidit & ſtipulam ut minùs igne comburendam? ergo benè docuit qui & quod nos docemus & quod amplius eſt, quod negamus aſſeruit. An benè docuit, quia malam, quam vos facitis conſequentiam ex falſo, licet ut putatis, principio elicuit? Sed laus iſthæc quomodo non ita commendabat Baium, ut laudatores faciat etiam errore Baianos? Nam Baianum Antecedens & Auguſtinianum eſt & Arauſicanum; ex quo ſi legitimam facis cum Baio ſequelam: quid ſupereſt, niſi ut æquè legitimè adeò quod intorques te facias Baianum.

CONFESSIO II.

DE PECCATIS.

1. *CVm aliquid vellem aut nollem, non aliud quam me velle ac nolle certiſſimus eram. Et ibi eſſe cauſam peccati, jam jamque animadvertebam.* L.7.c.3.

2. *Quod autem invitus facerem, pati me potius quam facere videbam: & ideò non culpam, ſed pœnam eſſe judicabam, quâ me non injuſtè plecti, te juſtum cogitans, citò fatebar.*

3. *Malum iſtud quod quærebam undè eſſet, non eſt ſubſtantia: quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet, peccatum admittitur cum meliora & ſumma deſeruntur, tu Domine Deus noſter, & veritas tua, & lex tua.* cap.12. L.2.c.5

4. Cum

4. Cum de facinore quæritur quâ causâ factum ſit, credi non ſolet, niſi cum appetitus adipiſcendi alicujus illorum bonorum, quæ infima diximus, eſſe potuiſſe *apparuerit, aut metus amittendi: pulchra ſunt enim & decora: quamquam præ bonis ſuperioribus & opibus beatificis abjecta & jacentia. Nec ipſe igitur Catilina amavit facinora ſua, ſed utique aliud, cujus cauſâ illa faciebat.*

Cap. 4. 5. *Dicat ſibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebam ut eſſem gratis malus, & malitiæ mea cauſa nulla eſſet, niſi malitia fœda? Et amavi eam, amavi perire, amavi defectum meum, non illud ad quod deficiebam, ſed defectum meum ipſum amavi & tamen ſolus id*
Cap. 8. *non feciſſem... ergò ibi etiam amavi conſortium eorum cum quibus feci.. Non ergo nihil aliud, quia & illud nihil eſt.*

Cap. 6. 6. *Perverſè te imitantur omnes, qui longè ſe à te faciunt & extollunt ſe adverſum te. Libuit facere contrà legem ſaltem fallaciâ ut mancam libertatem captivus imitarer, faciendo impunè quod non liceret, tenebroſâ omnipotentia ſimilitudine.*

7. Aliter æſtimat ratio, aliter uſus. Ratio luce veritatis, qua ſubdat minora majoribus. Uſus autem conſuetudine commoditatis inclinatur. Huic ſuffragium ſi dederis, res humanas omnes, legeſq́ue ſubvertet.

8. Hinc humanos animos peccata compenſativa conturbant, ut etiam recte facta dicantur. At ratio veritatis docet nullis cauſis bonis facienda eſſe opera mala, quæ conſtat per ſe eſſe peccata, nec ut habeamus quod demus pauperibus, facienda furta divitibus.

9. Damnat hæc ut adulterum etiam qui demonſtraverit miſericordiâ ſe feciſſe adulterium ut per illam cum quâ fecit, de morte hominem liberaret. Nec ſanè cum ſolâ cogitatione mens oblectatur illicitis non quidem decernens facienda; tenens tamen & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt, negat eſſe peccatum.

10. Saltem voluptuariam fovere cogitationem in materiâ pudenda pudicis & impudicis, interitui conſanguineum eſt.

L. 3. c. 8 11. Vel ſolâ voluptate alieni mali, vivitur malè *adverſus tria & ſeptem, pſalterium de-*
Lib. 10. *cem chordarum, decalogum tuum, Deus altiſſime & dulciſſime. Contendunt lætitiæ meæ*
cap. 28. *flendæ cum lætandis mœroribus, & ex qua parte ſtet victoria neſcio. Sunt quædam ſimilia*
L. 3. c. 9 *vel flagitio vel facinori & non ſunt peccata, quia nec te offendunt Dominum Deum noſtrum nec ſociale conſortium cum conciliantur aliqua in uſum vitæ congrua tempori, & incertum eſt, an libidine habendi aut corriguntur puniendi ſtudio poteſtate ordinata, & incertum eſt an libidine nocendi. Multa facta, quæ hominibus improbanda videntur teſtimonio tuo approbata ſunt: & multa laudata ab hominibus, te teſte damnantur.* Quæ levia & quæ gravia peccata, divina quidem ſunt penſanda judicio: non tamen ut ſint levia quæ ſuapte natura gravia ſunt, divino commiſſa arbitrio.

12. Levia nonnulla ſunt adeò, etiam Judice Auguſtino, ut Conditoris cum factura amicitiam naturâ ſuâ non dirimant. Ut ſi quis diligit uxorem ſuam ſecundùm hoc ſæculum, carnaliter & in morbo concupiſcentiæ: *Poteſt & iſte habere in fundamento Chriſtum.*

13. S. Auguſtinum l. 2. de peccat. merit. cap. 8. alioſum detorſiſſe non miror, eum, qui aliàs in eodem ſæpè naufragatus eſt. Periculum hic declinare poterat procliviùs, ſi conſectarium interpretationis ſuæ inſpexiſſet oculatiùs. Enimverò conſequens ſpontè fluit, ſi Auguſtinus de venialibus timorem juſtis incutiat ſalutis, non modo ex natura rei omnia peccata ex ſe mortalia fore, ſed etiamnum venialia aliqua ex his fieri, alia non fieri, prout Divinæ miſericordiæ lubitum fuerit. Et ita quilibet juſtus vel ob ipſa quæ commiſit venialia non ſine timore adipiſcendæ ſalutis ex hac vita migraret.

REFLEXIO.

S*I ita eſſet in poteſtate* (non peccare) *quomodò fuit ante peccatum, priuſquam eſſet humana natura vitiata, non utique poſceretur orando, ſed agendo potiùs teneretur* Aug. l. 6 op. poſt. c. 15. Cur ergo ſpontè non profluat ex moliniſtica doctrina deductus à Cenſura Lovanienſi rivulus: *Non eſſe orationem magnoperè neceſſariam?*

ALTERA.

LEgimus, & vice non ſimplici, excæcatos & obduratos, dum urget præceptum, nec à luce veritatis deſeri, nec gratiâ dilectionis deſtitui. Legimus, ſed non in Auguſtino. In quo luculenta peccata legimus præcedentium ſupplicia peccatorum. Quare quæ ipſe Pelagio

hæc

hæc nos adverſario reponimus : *Nec cogitat prævaricatorem legis , quam dignè lux deſerat veritatis, quâ deſertus utique fit cæcus.& plus neceſſe eſt offendat & cadendo vexetur. vexatuſque non ſurgat & ideò tantum audiat vocem laudis quo admoneatur implorare gratiam ſalvatoris.* An nulla pœna eſt eorum *de quibus dicit Apoſtolus,* quia *cum cognoviſſent Deum &c.? Utique iſta obſcuratio vindicta & pœna jam fuit, & tamen per hanc pœnam, id eſt,per cordis cæcitatem,quæ fit deſerente luce ſapientiæ,in plura graviora peccata prolapſi ſunt.* De nat. & grat. c. 22. Fortaſſe reſpondeat *Deum ad iſta non cogere , ſed dignos deſeri tantum deſerere : ſi hoc dicit , veriſſimè dicit : deſerti* quippe , *ut dixi , luce juſtitiæ & per hoc contenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia opera tenebrarum?* c.23. An hoc Apoſtolicum teſtimonium *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum ut faciant ea quæ non conveniunt* cum Juliano hyperbolicum eſſe dicetis?

CONFESSIO III.

DE PECCATO ORIGINALI.

1. S*I non eſſet lapſus Adam , non diffunderetur ex utero ejus ſalſugo maris, genus humanum profundè curioſum & procelloſè tumidum & inſtabiliter fluidum.* Lib.13. cap.20.

2. *Atque ita non opus eſſet , ut in aquis multis corporaliter & ſenſibiliter operarentur diſpenſatores tui myſtica facta & dicta.*

3. Omnes baptizandi infantuli non ob aliud exſufflantur , niſi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo neceſſe eſt vaſa iræ poſſideantur, cum ex Adam naſcuntur, ſi in Chriſtò non renaſcantur ,& in ejus regnum per gratiam facta vaſa miſericordiæ transferantur.

4. Unus Adam in ſingulis quibuſque punitur. Nec illud liquidè dici poteſt, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit , cum ſcriptura dicat : *in quo omnes peccaverunt.* Nec ſic dicuntur iſta aliena peccata tamquam ad parvulos non pertineant.

5. Illud peccatum ſolius Adæ eſſet , ſi ex illo nullus exiſſet. Fuit Adam & in illo fuimus omnes.Quo pacto? ℟.nullo,niſi cum divino decreto confundas,pacto. Quod genus humanum non modò approbaſſet , verum etiam expetiiſſet decretum hujuſmodi ſi tunc fuiſſet, ubi,quæſo,didiciſti,qui totius humani generis proxeneta necdum fuiſti? Forte hic à multis, nedum à me ſuffragium poſtulationis difficilè obtineres, lubentius,proprio quam alieno ſalutis aleam commiſſuris arbitrio.

6. Ut ut ſit, peccavit Adam, & in illo peccavimus omnes.

7. Cur non peccavit in primo Adam ſecundus ? ℟. quia non fuit de numero eorum,quos tabe carnalis concupiſcentiæ tabificavit in ſe de ſua ſtirpe venientes. Matrem Domini propter honorem Domini, diabolo tranſſcribere non audemus : quin & à debito originalis labis immaculatam optaremus. Sed non quod hominibus magis placet , hoc & apud æternum judicem plus valebit. Sicut peccati actione majores , ita minores majorum contagione ſunt rei. Et hoc jure ſeminationis atque germinationis. Ineſt naturæ malum , unde ſananda currit ad medicum; at quomodo ? an imputativè tantum atque moraliter ? Sicut ille in quo omnes vivificabuntur dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis : ſic & ille in quo omnes moriuntur , occultâ etiam tabe carnalis concupiſcentiæ tabificavit in ſe omnes de ſuâ ſtirpe venientes.

8. Dicite & adſtipulante Auguſtino aſſerite etiam peccatum Adę,quoniam ipſum eſt quod originaliter manet in poſteris ejus. Adjiciam & ego, Authore eodem , originale peccatum, *quod commiſſum eſt libero arbitrio.* Nec ideò ſibimet adverſantem dabo dicentem ; *voluntarium peccatum hominis primi, originalis eſt cauſa peccati.* Eſt ergo aliud , quamvis & de noſtra & Adamæa tranſgreſſione communi pullulet , originale peccatum.

9. Concupiſcentiam non vultis pertinere ad originale peccatum ? Remiſſio peccatorum quamdiu non fit in prole , ſic ibi eſt lex iſta peccati , ut etiam in peccatum imputetur , id eſt , ut etiam reatus ejus cum illo ſit , qui eum teneat æterni ſupplicii debitorem.

10. Si autem quæritur, quomodo iſta concupiſcentia carnis maneat in generato ? ℟. dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo,non ut non ſit,ſed ut in peccatum non imputetur.

11. Quamvis autem reatu ſuo jam ſoluto , manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra.. Reatu liberatur ſuo, non quo ipſa rea eſt , quaſi eo ſoluto illa permaneat abſoluta. Quod utique ſi ſenſiſſem , profecto eam malam eſſe non dicerem , ſed fuiſſe. Sic intelligat quis , niſi qui non erubeſcit laudare,cum qua compellitur dimicare.

12. Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in baptiſmate, niſi quia mortuum eſt in eo reatu, quo nos tenebat, & donec ſepulturæ perfectione ſanetur, rebellat & mortuum? Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum.

13. Sed in quibus ab illo rebellante,& ſi non lethaliter,ſed venialiter,tamen vincimur,in his contrahimus unde quotidie dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra.*

REFLEXIO.

QUia definierat Auguſtinus peccatum, eſt *voluntas retinendi vel amittendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere:* Tripudiat Julianus & eum talem non inveniat in parvulo voluntatem,originale peccatum exſibilat. Quid ad hæc Auguſtinus? an fateri ipſam liberrimam Adæ tranſgreſſionem eſſe peccatum originale parvulorum, & ſic ſub illa definitione comprehenſum? ſic reſponderent qui Adæ tranſgreſſionem à contagione originali haud ſecernunt. Sed aliter Auguiſtinus reſpondit l. 2. op. poſt c. 47. *Ipſo eſt Adam quem noſtra illa definitio, qua tibi placuit, intuebatur, cum dicerem: peccatum eſt voluntas &c. Peccatum iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque. Proinde originale peccatum nec ad illud pertinet, quod primo loco poſuimus ubi eſt voluntas malam operandi, unde liberum eſt abſtinere. Nec ad illud quod ſecundo commemoravimus. De peccato enim nunc agimus, non de pœnâ, quæ non eſt peccatum, quamvis peccati merito ſubſequatur: quam quidem patiuntur & parvuli, quia ineſt eis corpus mortale propter peccatum. Non tamen mors corporis ipſa peccatum eſt. Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium,* UBI SIC PECCATUM EST,UT IPSUM SIT ET PŒNA PECCATI. *Quod ineſt quidem naſcentibus, ſed incipit apparere, quando eſt inſipientibus neceſſaria ſapientia, & mala concupiſcentibus continentia. Origo tamen etiam hujus peccati deſcendit à voluntate peccantis, fuit enim Adam & in illo fuimus omnes, periit Adam, & in illo omnes perimus.* Quis hic non videat originale peccatum ut effectum à cauſa, ita ab Adæ tranſgreſſione diſcerni?

CONFESSIO IV.

DE LEGIBUS.

Lib. 1. cap. 18. 1. *QVàm tu ſecretus es habitans in excelſis, in ſilentio. Deus ſolus magnus; lege infatigabili ſpargens pœnales cœcitates ſuper illicitas cupiditates! Cum homo eloquentiæ famam quærit vigilantiſſimè cavet ne per linguæ errorem dicat: inter hominibus, & ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus, non cavet.*

2. *Vide quemodo diligenter obſervent filii hominum pacta litterarum accepta à prioribus locutoribus, & à te accepta æterna pacta perpetuæ ſalutis negligant.*

3. *Et certè non eſt interior litterarum ſcientia*, quam *ſcripta conſcientia, id ſe alteri & facere, quod nolit pati.*

4. QUOD TIBI NOS VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS, *non de paginis diſcitur, ſed in natura ipſa legitur.*

L. 3. c. 2 5. *Lex Dei ſcripta in cordibus hominum, quam nulla delet iniquitas.* Sine lege natu-

Cap. 8. rali fuiſſent homines, ſi extra naturam humani generis eſſe potuiſſent. *Numquid aliquando aut alicubi, injuſtum eſt diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente: & diligere proximum tamquam ſe ipſum? Itaque flagitia quæ ſunt contra naturam, ubique ac ſemper deteſtanda atque punienda ſunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu Divinâ lege tenerentur, quæ non ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet cum eadem natura libidinis perverſitate polluitur.*

6. Adeò altè inſculpta naturæ lex eſt, ut nulla eam inſuperabilis, dum agi oportet, obliterare ignorantia queat.

7. Inviolabilis atque incommutabilis adeò, ut eam nulla epikeia, diſpenſatio nulla, nulla probabilitatis maxima relaxet.

L. 5. c. 8 8. *Multa injurioſa faciunt mirâ hebetudine & puniendâ legibus, niſi conſuetudo patrona ſit, hoc miſeriores eos oſtendens, quo jam quaſi liceat faciunt, quod per tuam legem æternam unmquam licebit: & impunè ſe facere arbitrantur, & incomparabiliter patiuntur pejora, quam faciunt.*

9. Sed

9. *Sed quæ flagitia in te, qui non corrumperis? aut quæ adverſus te facinora, cui noceri non poteſt? Sed hoc vindicas, quod in ſe homines perpetrant: quia etiam cùm in te peccant, impiè faciunt in animas ſuas, & mentitur iniquitas ſibi, ſivè corrumpendò aut pervertendo naturam ſuam, quam tu feciſti & ordinaſti: vel immoderatè utendo conceſſis rebus: vel in non conceſſa flagrando.* L.3.c.8

10. *Et ea fiunt cùm tu derelinqueris fons vitæ, qui es unus & verus Creator, & Rector Univerſitatis, & privatâ ſuperbiâ diligitur in parte unum falſum.*

11. *Cùm Deus contra morem aut pactum quorumlibet jubet, etſi numquam ibi factum eſt, faciendum eſt, & ſi omiſſum, inſtaurandum, & ſi inſtitutum non erat, inſtituendum eſt.*

12. *Etiamſi hoc aliquando vetuiſti, & quamvis contra pactum ſit aliquorum hominum Societatis, quis dubitat eſſe faciendum, quando juſta eſt ſocietas hominum, quæ ſervit tibi?* Cap. 9.

13. *Sunt qui indignantur cum audiunt illo ſæculo licuiſſe juſtis aliquid, quod iſto non licet juſtis: & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cum eidem juſtitiæ utrique ſervierunt. Cum in uno homine, & in uno die, & in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, & aliud jam dudum licuiſſe, & poſt horam non licere: quiddam in uno angulo permitti aut juberi, quod in iſto juſtè vetetur & vindicetur.* Cap. 7.

14. Lex itaque prophetica ſuis congruebat temporibus, Chriſtiano populo non congruebat, & ideò, quamvis juſta & ſancta, per Chriſtum ceſſavit. Sed ne diabolica fuiſſe ſuperſtitio videretur, poſt ſuam Chriſtique mortem ad intelligentiam ſervata fuit & cum honore ad ſepulturam deducta.

15. Nunc quiſquis Chriſtianorum eam celebrare voluerit, tanquam ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator.

16. *Regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid quod neque ante illum quiſquam, nec ipſe unquam juſſerat: & non contra ſocietatem civitatis ejus obtemperatur, imò contra ſocietatem non obtemperatur.* L.3.c.8

17. *Generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ obedire Regibus.*

18. Quid ſi civitas legem non acceptaverit? ℟. non ſecùs huic parere neceſſum erit, quam ſi legem de acceptandâ lege Rex ipſe jam tulerit.

19. Quid ſi leviter in materiâ gravi, & graviter in levi cives obſtringere voluerit & non aliter? ℟. lex non erit, non ſecus ac Matrimonium eâ lege & nón aliter celebratum, quam ut leviter ad onera conjugalia conjuges teneantur obſtricti.

20. *Pactum inter ſe civitatis aut gentis conſuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur: turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* L.3.c.8

21. Hinc decet Principem licet ſolutum legibus, legibus parêre ſuis. Sed an univerſim? non ita in proclivi probatio eſt.

22. Legifer ubi voluerit, legem tollit validè ſuam, non alienam ſine cauſa. Imperfecti cordis eſt judicium, ſtatuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere: hærere ad ſingula quæ injunguntur, exigere de quibuſcumque rationem; vel male ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſa latuerit, nec unquam lubenter obedire, niſi cum audire contigerit, quod forte libuerit. Delicata ſatis, imò nimis moleſta hujuſcemodi obedientia. Promptior fuit Matris Monicæ obedientia. Nam

23. *Cum ad memorias ſanctorum, ſicut in Africâ ſolebat, pultes & panem & merum attuliſſet, atque ab oſtiario prohiberetur: ubi hoc Epiſcopum prohibuiſſe cognovit tam piè atque obedienter amplexa eſt, ut ipſe mirarer, quod tam facile accuſatrix potius conſuetudinis ſuæ, quam diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit.* L.6.c.2

24. Faxit Deus, ut ubi Epiſcopum pernicioſa ſeu conventicula ſeu tripudia vetantem plebs inaudierit, accuſatrix potius conſuetudinis ſuæ, quam diſceptatrix illius prohibitionis efficiatur. Quis etiam non exoptet avidiſſimè ut, ubi Epiſcopus Epiſcoporum morum corruptelas, ac probabilitatum maleſuadas ſequelas abrogatum venit, quiſque ſe potius accuſatorem conſuetudinis & opinionis ſuæ, quàm ſanctiſſimæ prohibitionis diſceptatorem non voce ſolâ, ſed ſaxo profiteatur.

REFLEXIO.

D*Ari ignorantiam innoxiam nullo diſcrimine juris naturalis aut divini pronuntiat* Auguſtinus Enchir. 21.? Ita quidem legimus Theſi 10. anni 1680. Et quis non fidem

daret tam incunctanti pronunciato ? ſed oculis magis credidimus noſtris, quibus nihil ſimile occurſabat. Errorem innoxium lego, & ſine diſcrimine legis naturalis aut divinæ lego : ſed veſtigium legis naturalis aut divinæ minimè lego. Ut quid ergo legis naturalis innoxiam ignorantiam concedere me cogis per Auguſtinum ? exempla erroris innoxii præſto ſunt, exempla ignorantiæ legis non cælata ſunt, ſed celata. Utrumque ergo verum eſt : in quibuſdam rebus nihil intereſt ad capeſſendum regnum Dei utrum credantur an non, vel utrum vera ſive ſint, ſive putentur, an falſa. In his errare, id eſt, aliud pro alio putare, non arbitrandum eſſe peccatum: aut ſi eſt, minimum eſſe atque leviſſimum. Et neque ab hac via deviabat in geminis filiis gratus ille parentibus error. Quis tamen hinc concluſerit nec devium eſſe, nec noxium errorem, quo ab æterna lege receditur? an quia in quibuſdam innoxius eſt, ideo nec hic noxius? Pari concludam jure innoxium errorem dari etiam in omni jure, ad quod tuâ ſententiâ, error innoxius ſe non protendit. At, inquis cum aliis: repetendarum ſequitur carnificina confeſſionum, ſi omnis naturalis ignorantia legis vincibilis ſit & culpanda. Ergo ne ſequatur conſectarium moleſtum adeò, admittenda eſt aliqua inculpata? At tela regero : ſi ex omni culpabili ignorantia hæc ſequatur carnificina ; ergo ex aliquâ tali ſequitur carnificina talis. Ergo ne fabrices conſcientiæ carnificinam, admittes nullam naturalis legis ignorantiam ? non credo equidem. Exi ergo de laqueo proprio, ut nos aves exire de alieno.

CONFESSIO V.

DE FIDE.

L.6.c.4 1. *SAnari credendo poteram, ut purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam ſemper manentem & ex nullo deficientem. Sed ſicut evenire aſſolet, ut malum medicum expertus etiam bono timeat ſe committere : ita erat valetudo animæ meæ, quæ utique niſi credendo ſanari non poterat. Et ne falſa crederet, curari recuſabat reſiſtens manibus tuis, qui medicamenta fidei confeciſti, & aſperſiſti ſuper morbos orbis terrarum, & tantam illis authoritatem tribuiſti.*

2. Intellectus rationi innititur, fides authoritati : opinio ſolâ veriſimilitudine ſe tuetur. Omninò in his cavenda confuſio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque eſt fidei, opinio revocet in quæſtionem. Intellectus ſi ſignata fidei tentet irrumpere, reputatur effractor & ſcrutator majeſtatis. Malè ergo

Ibidem. 3. *Volebam eorum, quæ non viderem, ità me certum fieri, ut certus eſſem quod ſeptem & triâ decem ſint. Neque enim tam inſanus eram, ut nè hoc quidem putarem poſſe comprehendi, ſed ſicut hoc, ita cætera cupiebam.*

4. Ego verò ſecurus in Magiſtri gentium ſententiam pergo. Placet mihi de fide Definitio : *Sperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium.* Subſtantia rerum ſperandarum, non inanium phantaſiæ conjecturarum. Subſtantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur. Non eſt fides æſtimatio, ſed certitudo.

L.6.c.5 5. *Conſideranti mihi quam innumerabilia crederem quæ non viderem, neque cum gererentur, affuiſſem re perſuaſiſti non qui crederent libris tuis, quos tantâ fere in omnibus authoritate fundaſti, ſed qui non crederent, eſſe culpandos.* Ego verò ſcripturis non crederem niſi me Eccleſiæ commoveret authoritas. Sola eſt authoritas quæ commovet ſtultos ut ad ſapientiam feſtinent. Quis tamen ferat irrationabilem dici Chriſtianam fidem? Non eſt ſine ratione authoritas cui credimus, per quam ad ei aſſentiendum manuducimur.

L.8.c.2 6. *Legebat Victorinus Sanctam Scripturam omneſque Chriſtianas ſcripturas inveſtigabat ſtudioſiſſimè & perſcrutabatur & dicebat ſimpliciano.* Noveris me jam esse Christianum: *& reſpondebat ille : non credam, nec deputabo te inter Chriſtianos, niſi in Eccleſia Chriſti te videro. Ille autem irridebat eum dicens : ergo parietes faciunt Chriſtianos?*

7. *Ut ventum eſt ad horam profitendæ fidei, oblatum Victorino ut ſecretiùs redderet, ſicut nonnullis qui verecundiâ trepidaturi videantur, afferri mos erat. Ille autem maluit ſalutem ſuam in conſpectu S. multitudinis profiteri. Pronuntiavit ille fidem veracem præclarâ fiduciâ & volebant eum omnes rapere intra in cor ſuum : & rapiebant amando & gaudendo.*

8. Meritò talis ſervus abjicitur & punitur, qui terrore ſeu tepore poſſeſſus ſilendo non adſtruit veritatem, & dominicam gloriam qui non firmarit, evacuat.

9. Cum

9. Cum de Deo res agitur, non levis reatus eſt, ſi quod ad ſalutem pertinet, taceatur. Major, ſi etiam negatur. Abſit ut ſervi Chriſti ſe fingant ſervos dæmonum, ut ſervos dæmonum faciant ſervos Chriſti. Abſit ut cujuſvis mali cavendi causâ in cauſa Religionis mendacium committatur. Oppoſita ſententia ſanctos Martyres exhonorat, imò ſancta tollit omninò martyria.

10. Fides eſt ſalutis initium, bonorum omninm fundamentum. Sine hâc nemo ad filiorum Dei numerum poteſt pervenire. Sine hâc nec in hoc ſæculo quiſquam juſtificationis gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam. Abſit tamen ut per hanc ſolam vitam conſequamur æternam.

11. Fruſtrà naturalis legis obſervatio tamquam ex naturæ viribus profecta prætenditur, quaſi per eam ſine fide conſeqni ſalutem quiſqnam poſſit.

12. Præter iſtam fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ſive ante ejus incarnationem, ſive poſteà non eſt quiſquam reconciliatus Deo.

13. Non tamen tantam præſcientiam futurorum habuêre juſti antiqui, quantam nos præteritorum ſcientiam. Fuit tunc fides latens, nunc patens: tunc velata, jam revelata. Alioquin fuit antiquis temporibus aut perrara ſalus, aut nimiùm nnmeroſa perfectio.

14. Fidem Chriſtianam Dei donum eſſe non modo ſcriptura, ſed & oratio & gratiarum actio teſtatur Eccleſiæ. Quomodò non potius pro gratiæ auxilio, quam pro fidei dono oratio funditur & gratiarum actio, ſi primas partes tua obtineat determinatio? Ut quid poſcitur à Deo, quod non donatur à Deo?

15. Jure quoque recedimus ab iis, qui fidem Dei donum eſſe concedunt, ſed ob Mediatoris noſtri merita darl inficias eunt. Hos confundit vel ipſa, qua pro incredulis ſupplicant, orationis clauſula: *Per Dominum noſtrum* &c.

R E F L E X I O.

ANno 1682. Theſi 1. Hanc poſitionem legimus. *Quidni à rationis compote invincibiliter aliquamdiu ignorari* (Deus) *poſſit? Quidni & ab adulto in infantiâ baptizato? quod ſi admiſeris, (nec eſt cur neges) nihil abſurdi dixeris, ſi talem abſque fide in Deum ut remuneratorem dicas ſalvandum, modò gratiam in Baptiſmo acceptam nullo graviori peccato contrà legem naturæ voluntariè commiſſo amiſerit, definiente Florentino illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omninò peccati maculam contraxerunt, in Cœlum mox recipi*. Duo hîc obſervata velim. 1. Laborantem invincibili ignorantia Dei juſtitiam in Baptiſmo acceptam graviori peccato amittere poſſe: quod adverſanti parti adverſari videtur.

2. Fidem Remuneratoris non eſſe neceſſarium ſalutis medium. Et hoc declarante, ſi ſuperis placet, Florentino. Poterat & eo detorquere, ſi diceret omnes prædeſtinatos ſalutem conſequuturos, ut aliqui ſine Baptiſmo ejuſque Vicario ſalvari poſſe viderentur. Non ſic ſalutis medium coarctavit S. Fulgentius dum palàm pronuntiavit: *Sine ipſa*, (fide) *nec in hoc ſeculo quiſquam juſtificationis gratiam*, NEC IN FUTURO VITAM POSSIDEBIT ÆTERNAM L. de fide ad Petrum.

C O N F E S S I O VI.

DE SACRA SCRIPTURA.

1. *CVm eſſemus infirmi ad inveniendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus eſſet authoritate ſanctarum litterarum: jam credere cœperam nullo modo te fuiſſe tributurum tam excellentem illi ſcripturæ per omnes jam terras authoritatem; niſi & per ipſam tibi credi, & per ipſam te quæri voluiſſes.* L.6.c.5

2. *Me non ſinebas ullis fluctibus cogitationis auferri ab eâ fide, quâ credebam & eſſe te,* L.7.c.7 *& in Chriſto filio tuo Domino noſtro atque in Scripturis Sanctis, quas Eccleſia tua Catholicæ commendaret authoritas, viam te poſuiſſe ſalutis humanæ ad eam vitam, quæ poſt hanc mortem futura eſt.*

3. *Neque enim novimus alios libros ita deſtruentes ſuperbiam, ita deſtruentes inimicum* Lib.13. *& defenſorem reſiſtentem reconciliationi tuæ defendendo peccata ſua. Non novi, Domine,* cap.15. *alia tam caſta eloquia, quæ ſic mihi perſuaderent confeſſionem & lenirent cervicem meam & invitarent colere te gratis:*

4. *Sublimioris authoritatis eſt tua divina Scriptura, cum jam obierint iſtam mortem* Ibid.

illi

*illi mortales, per quos eam diſpenſaſti nobis. Tranſeunt Prædicatores verbi tui ex hoc vita
in aliam vitam; ſcriptura vero tua uſque in finem ſeculi ſuper populos extenditur, Authori-*
Lib. 12. c. 26. *tatis culmine per univerſum orbem omnium falſarum ſuperbarumque doctrinarum verba
ſuperat.*

Lib. 12. cap. 14. *5. Mira profunditas eloquiorum tuorum.... Horror eſt intendere in eam, horror hono-
ris, & tremor amoris. Neque fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum* OPACA SECRETA. *Aut non*
Lib. 11. cap. 2. *habent illo ſylva cervos ſuos recipientes ſe in eas & reſumentes & ambulantes & paſcentes,
recumbentes & ruminantes.*

Lib. 13. *6. Non oportet de tam ſublimi authoritate judicare: neque etiam de libro tuo, etiamſi*
cap. 23. *quid ibi non lucet: Quoniam ſubmittimus ei intellectum, certumque habemus etiam, quod
clauſum eſt aſpectibus noſtris, rectè veraciterque dictum eſſe.*

cap. 24. *7. Quid igitur dicam lumen meum veritas? Quia vacat hoc? Quia* INANITER *dictum
eſt? nequaquam Pater pietatis: abſit ut hoc dicat ſervus verbi tui. Etſi ego non intelligo,
quid hoc eloquium ſignificet, utantur eo melius meliores id eſt, intelligentiores quam ego ſum:
Placeat autem & confeſſio mea coram oculis tuis: quia tibi Confiteor credere me Domine,*
NON INCASSUM *te ita locutum.*

Lib. 12. *8. Vide quàm ſtultum ſit in tanta copia veriſſimarum ſententiarum quæ de illis verbis*
cap. 25. *erui poſſunt temerè affirmare, quam earum Moyſes potiſſimùm ſenſerit, & pernicioſis con-
tentionibus ipſam offendere charitatem, propter quam dixit omnia, cujus dicta conamur
exponere; ſed omnes quos in eis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos invicem, pa-*
cap. 30. *riterque te diligamus Deum noſtrum fontem veritatis. Si non vana, ſed ipſam ſitimus;
eundemque famulum tuum ſcripturæ hujus diſpenſatorem Spiritu tuo plenum ita honore-
mus, ut hoc eum te revelante cum hæc ſcriberet, attendiſſe credamus, quod in eis maximè
& luce veritatis, & fruge utilitatis excellit.*

cap. 25. *9. Domine tremenda ſunt judicia tua, quoniam veritas tua nec mea eſt, nec illius aut
illius, ſed omnium noſtrum, quos ad ejus communionem publicè vocas terribiliter admonens
nos ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea.*

Lib. 13. *10. Feciſti nobis firmamentum authoritatis de Scriptura tua Divina.*

cap. 15. 11. Hoc titubante titubabit fides. Hoc ſolo ſtante, non ſtabit fides: eſt ergo & aliud
non contra, ſed præter Verbum Dei ſcriptum Divinæ Traditionis firmamentum, ad cu-
jus amuſſim Religionis ſimultates exigantur & dirimantur. Hinc ſuum in caput invidio-
sè oblatrat canina hæret corum facundia: *Nolo verba quæ non ſcripta ſunt dici.*

12. Uti ſanctiſſimum de verbo non ſcripto Tridentini judicium demoliri nititur Kem-
nitius, ita calumniosè illius de vulgata veteri Latina editione Decretum exagitat, ac ſi
librariorum errata aliaque menda pro genuino Dei verbo populo venditaret, ac ſi
ipſis fontibus Hebræis Græciſque adeundis viam præcluderet. Sed hanc invidiam ſolidiſ-
ſimè amolitus eſt Theologus Trid. Tiletanus. Quocum cenſeo eam non fuiſſe Tridentino
mentem, ut vulgatam editionem ut penitùs emaculatam emendatamque fontibus exæqua-
ret ſuis, item & noluiſſe reliquas à vulgata diſtinctas editiones improbare. No-
luiſſe Latinam vulgatam Hæbraicis Græciſque editionibus anteferre. Qui ſecùs ſentiunt,
neſcio an calumniandi fomitem Tridentini hoſtibus non ſuppeditent, an ad Scripturæ
gloriam per contumeliæ materiam pervenire non contendant. Latina hæc verſio Scriptu-
ræ Divinæ imago quidem eſt; at preſsè loquendo, Scriptura ipſa Divina non eſt.

R E F L E X I O.

TRiadem Patrum non rectis oculis à quibuſdam conſpectam, famâ jactante, didicimus.
Sed æquiori jure geminis Belgii facultatibus inviſam fuiſſe legimus eam propoſitio-
nem *Triadem*, quà S. Scripturæ commendabatur authoritas, ſi utique commendabatur.
Enimverò incomparabilis illa dignitas, & majeſtas, quam in Scriptura ſacra propter Autho-
rem Spiritum ſanctum ſemper & agnoverunt: & religiosè reveriti fuerunt Eccleſiæ Docto-
res, non ita conſtare videtur, ſi dictis propoſitionibus inhæreatur. Tertia cæteris refuta-
tionis palmam eripit, dum librum humanâ induſtriâ ſine aſſiſtentia Spiritùs S. conſcrip-
tum, ſi Spiritus ſanctus poſteà teſtetur nihil eſſe falſum, dici Scripturam aſſerit. Et hæc
videbatur Apologiſtæ *omninò certa niſi ſit quæſtio de nomine.* Cur non igitur Poëtam, cui
Spiritus ſanctus teſtimonium perhibet, Divinis Hagiographis accenſes? Cur non Eccleſiæ
Cano-

Canonem auges, adaumeratis ſaltem quatuor Synodis quas quatuor Evangeliis comparat Magnus Gregorius? Cur non Leonis ad Flavianum Epiſtolam, cujus textum uſque ad jota in omnibus venerabiliter ſuſcipi Gelaſius Papa ſub Anathemate præcepit, vel ab ipſo Gelaſio vel à Poſterioribus fuiſſe S. Scripturis adnumeratam legimus, in quibus tamen pariter & humanam induſtriam, & Spiritûs ſancti aſſiſtentiam agnoſcimus? Præſertim cùm non ſit *niſi de nomine quæſtio?* Aio ego cum R. P. Franciſco Coſtero Doctore Theologo Societatis Jeſu, Controv. c. 1. *Si verba ipſa Decretorum conſideres, nullo modo ſunt cum ſacris litteris conferenda: cùm hæ dictata à Spiritu ſancto, nec jota unum vel unum apicem habeant, cui non inſit ſuum pondus & efficacitas.... Conciliorum verò Decreta à ſanctis Patribus conſcripta fuerunt, quæ ſuis verbis veritatem Divinam nobis loquuntur, non aliter atque Scriptor, qui Regis voluntatem ſuo ſtylo litteris mandat. Atque hinc rectè* dixit B. Aug. *ſe nullius hominis libris tantùm deferre, atque Divinis litteris. Non quidem ob veritatem, quæ par eſt in utriſque, ſed* OB VERBA *&* PHRASIM DICTANTIS, *qui fuit Spiritus ſanctus.*

CONFESSIO VII.

DE SPE CHRISTIANA.

1. *RESpiro in te paululum in voce exultationis & Confeſſionis Feſtivitatem celebrantis.* Lib. 13.
Et adhuc triſtis eſt quia relabitur & fit abyſſus. Dixit ei fides mea quam accendiſti cap. 14.
in nocte: Spera in Domino. Spera & perſevera, donec tranſeat nox mater iniquorum. Spera in Domino: manè adſtabo tibi & contemplabor.

2. *In hac perigrinatione pignus accepimus, ut jam ſimus lux, dum adhuc ſpe ſalvi facti ſumus.*

3. *Meliores quàm illi qui nec re nec ſpe beati ſunt.*

4. *Tenemus promiſſum, quis corrumpet illud? Si Deus pro nobis quis contra nos? Petite* Lib. 10.
& accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis: omnis enim qui petit ac- cap. 20. Lib. 12.
cipit: & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. cap. 1.

5. *Promiſſa tua ſunt. Et quis falli timeat cùm promittit veritas?* Ergo

6. *Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Et qui dimittit, quo it aut quo fugit, niſi à te pla-* L. 4. c. 9
cidè ad te iratum? nam ubi non invenit legem tuam in pœna ſua? Et lex tua veritas, & veritas tu.

7. *O ſi cognoſcant ſe homines, homines: & qui gloriantur in Domino glorientur! Quiſ-* Lib. 9.
quis tibi enumerat vera merita ſua quid tibi enumerat niſi munera tua? Væ laudabili et- cap. 13.
iam vitæ hominum ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam?

8. *Tota ſpes mea non niſi in magna, valdè miſericordia tua Domine Deus. Da quod ju-* Lib. 10.
bes & jube quod vis. Quis nos diſcernit niſi tu? quid autem habemus quod non accepimus cap. 29. Lib. 13.
à te? Ex eadem maſſa vaſa in honorem, ex quâ ſunt & alia facta in contumeliam. cap. 14.

9. Tanta eſt ergà homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt, æterna ſit donaturus.

10. Et ipſa vita æterna à tanto Apoſtolo gratiâ Dei dicitur, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.

11. Non eſt cuiquam ſpes vera & certa ſemper vivendi, niſi agnoſcat vitam quæ Chriſtus eſt, & per januam intret in ovile. Nec ſpes ſalutis æternæ ex ſola lege naturæ concipitur.

12. Quamvis juſti de perſeverantiæ præmio certi ſint; de ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti: multoſque à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus, *Qui ſtat videat ne cadat.*

13. *Et nemo ſecurus eſſe debet in iſta vita, quæ tota tentatio nominatur, utrum qui fieri* Lib. 10.
potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Una ſpes, una fiducia, una cap. 32.
firma promiſſio miſericordia tua.

14. *Contendunt mœrores mei malè cum gaudiis bonis, & ex qua parte ſtet victoria, neſ-* cap. 28.
cio. Hei mihi, ecce vulnera mea non abſcondo. Medicus es, æger ſum. Miſericors es, miſer ſum.

15. Si juſtis conantibus pulſantibuſque neceſſaria deſit gratia Dei, quomodò per bona opera certam facient vocationem ſuam? aut quomodò firmâ ſpe tenebunt promiſſum Dei? & è converſo.

16. Si

16. Si juſtus quantumlibet peccet, Deumque deſerat, non deſeratur ut piè rectèque vivatur: quid eſt quod Dei ultio in deſertione boni operis timeatur?

17. Deum ſperare bonum eſt; ſed in ſperando Deum benevolè non amare malum eſt; nec hoc Calvinianum eſt.

18. Pœnas timere & Judicem non diligere Deum, bonum eſt, quod cum malo non fit benè. Nec illud Lutheranum dixetis, neque Tridentini vibratum fulmen formidaveris, niſi cui animus timere ubi non eſt timor.

REFLEXIO.

MEnſis elapſi die 21. hæc ordine 26. poſitio legitur: *Spe in Deum ferimur, ut nobis bonum. Actus ipſius laudabilis eſt, etiam omni amore benevolo deſtitutus.* Ecquis, cedo, non laudet niſi Calvinizet? etiam laudat eum, qui ſperantem reum agit. Manent & bona Dei dona, etiam dum his non benè utentes aut malè fruentes efficiuntur mali: *Quâ igitur,* inquis, *ratione peccati arguitur qui ex ſolâ ſpe operatur?* Miſeret me conſequentiæ. Et quis non miſeretur hanc: *Actus ſpei laudabilis eſt, etiam omni amore benevolo deſtitutus, igitur quâ ratione peccati arguitur qui ex ſola ſpe operatur?* Si ſuperis placet, dum unus actus hominis placet, totus homo perplacet. Hæc ſi collubita ſint conſectaria, dabo paria, ſed miror ſi non diſplicitura. Dum urget confitendi præceptum v. g. peccator timet ſperatque, credit, atteritur, imò dilectionem Dei ſed parvam ſentit, pudore tamen à confitendo retrahitur. Actus timoris, fidei, dilectionis, ſpei laudabilis eſt: quâ igitur ratione peccati arguitur, qui ex ſolâ fide, ſpe &c. operatur? item dum urget charitatis præceptum elicit dictum ſpei *actum laudabilem*; ſed charitatis actum negligit: Quâ igitur ratione peccati arguitur qui ex ſolâ ſpe laudabili operatur? infinitam è ſimilibus anſulis nectere catenam proclive nimium eſt. Muta ergò antecedentia ſi vis negare conſequentia. At nolle te video admirantem *quod ſuos hodiedum hac habet patronos ſententia.* Quæ nimirum operantem in caſu peccati arguit. Habet meritò hodiè Patronos non nata hodiè nec hodiè natos nacta patronos. At hodiè in cunis poſita opprimimus adverſantia conſectaria.

CONFESSIO VIII.

DE CHARITATE.

L.4.c.3 1. NUm amamus aliquid niſi pulchrum? niſi eſſet decus & ſpecies, nullo modo nos ad ſe
cap.10. moverent; quæ tamen nulla eſſent, niſi eſſent abs te. Laudet te ex illis anima mea
cap.11. *Deus creator omnium. Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem: nè in his, quæ tibi placent, tu diſpliceas.*

2. Si pictor imaginem pulchram depingeret in tabulâ, & illi viſum date poſſet, & ſenſum ut ſe ipſam, pulchritudinem ſuam & pictorem ſuum agnoſceret, & coràm ſe poſitum videret, quo amore, quâ benevolentiâ exiſtimas diligeret ipſum, aut quid aliud imago illa toto conatu ageret, quam amare, laudare, colere & venerari pictorem ſuum à quo habuit ut eſſet, & tam pulchara eſſet? atqui

3. Ineſt naturæ rationali ratio ob quam creatoris, ad cujus imaginem facta eſt, poſſit
Lib. 4. ineſſe dilectio, igitur *Hunc amemus, Hunc amemus ipſe fecit hac & non eſt longè. Bonum*
c. 12. *quod amatis, ab illo eſt: ſed quantum eſt ad illum, bonum eſt & ſuave. Sed amarum erit*
Cap.9. *juſtè, quia injuſtè amatur deſerto illo, quidquid ab illo eſt. Beatus qui amat te & amicum in te, & inimicum propter te: ſolus enim nullum charum amittit cui omnes in illo chari*
L.1.c.5 *ſunt, qui non amittitur. Quid mihi es, miſerere mihi ut loquar. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me:* ET NISI FACIAM, IRASCARIS MIHI, *& mineris ingentes miſerias?* Iſtane Domine tam iniquus ſum, & tam ingratus ut tali egeam mandato? Quæ ſubſtantia mea ut ſic à me cupias amari, quod æternos cruciatus & ignes attoces mihi ſi te non dilexero miniteris? Quid eſt quod evitare præſumit homo ſine amore, & in ſuaviſſimo amoris præcepto laborem fingit? Quid eſt quod legem amoris Sacramento ſolutam quis credit reconciliationis? Ab amore tuo excluditur nemo, nemo excuſatur. Si amari te jubes à me da quod jubes, & jube quod vis: quia licèt jucundum & valdè jucundum ſit mihi amare te, ſed tamen ſuprà vires, ſuprà facultatem meam & naturam eſt amor, quem præcipis, dilectio quam requiris. Illi debes omnes cogitationes qui vim intelligendi animæ tuæ inſeruit:

illi

illi debes deſideria omnia tua & appetitus; qui appetendi deſiderandique potentiam in te plantavit. Si quam igitur cogitationem, ſi quam dilectionem in alio expendis, ſi quid aliud cupis aut ſapis: Si quid agis vel meditaris, quod non ipſe eſt, aut propter ipſum eſt, *fur et & latro, & alienum eſt quod prodigis.....* *Illi enim* qui tibi præſtitit ut eſſes, omnis actus & operatio tua jure debetur. Non igitur tibi fit injuria ſi à te exigitur, ut ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex omni mente diligas ipſum, ac ex toto te.

R E F L E X I O.

BEnè habet: Auguſtinus (adverſantium eſt adſtipulatio) de ſpiritu & litterâ, c. 27. *Admittit aliqua infidelium opera, quæ juſtitia moralis debitam laudem defenſionemque mereantur, licet interim viribus ſolius arbitrii ab iis ſint præſtita.* Verba Auguſtini hæc ſunt: *Si hi, qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti juſticat gratia; ſed in eorum potius quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter juſtèque colentium, quædam tamen facta vel legimus vel novimus, vel audimus quæ ſecundum juſtitiæ regulam non* SOLUM VITUPERARE NON POSSUMUS: *verum etiam* MERITÒ RECTÈQUE LAUDAMUS. *Quamquam ſi diſcutiatur quo fine fiant vix inveniuntur, quæ juſtitia debitam laudem defenſionemve mereantur.* Inveniuntur ergo aliqua infidelium opera, quæ laudem mereantur. Hujuſmodi erant & illa quæ quamvis bona eſſent & manerent, fiebant tamen malè: non ità tamen malè, ut ea quæ finibus ſerviebant malis, & ideò fiebant mala. Superis gratamur, quod molimine opus ſit nullo hic Auguſtinum & nos cum illo diſcriminare à Baio. Sed quantò Auguſtinus intervallo à Baio diſſidet, tantò identidem abit à Juliano. Diſce interim Auguſtini phraſim de peccato *non gloriationis* non operi, ſed operanti aſſricare. Dediſce eum Baio quem imitari volupe eſt, Auguſtinum ſic intelligere, quaſi ſtudio vituperandi officiorum ſubſtantiam, charitatem commendet. Laudat Auguſtinus aliqua infidelium opera, ſeu potius officia, in Deum non relata, laudamus & nos. A Baio eatenùs recedit; ergò & nos. Non laudat infidelem ſic operantem quem peccare convincit; ergo adverſarius, Juliano; ergo & nos eſt. Sequamur præeuntem impavidi, nec nos inanium umbræ fulminum conturbent. At, inquies, ubi Auguſtinus infidelem peccati arguendum ratus eſt, cujus facta juſtitiæ laudem defenſionemque mereri concedit? Non te ab illo, quem teſtem acciviſti, abducam libro de ſpiritu & litterâ: nam c. 3. ità fatur: *Nam neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.* Atqui infidelem, cujus facta laudem mereri dicit aliquandò c. 27. latet veritatis via; ergò *non niſi ad peccandum valet*, quamvis non omne ſit peccatum quod facit; ergò quamdiu latet veritatis via, omne bonum quod facit, malè facit.

A L T E R A.

NOnnulli diligunt proximos, ſed per affectum cognationis & carnis: quibus tamen in hâc dilectione ſacra eloquia non contradicunt, ſed aliud eſt, quod ſpontè impenditur naturæ: aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientia.* Ità Magnus Greg. homil 27. in Evang. Qui & ſubdit: *Quid ergò nobis agendum eſt, niſi ut veræ charitatis affectum impendamus Fratribus.* Ex hoc diſcere potuit Bayus quam vana ſit & infirma quam à debito operantis ad operis debitum deduxit, conſequentia. Diſcant itidem Bay aliàs inimici, in hoc argumentandi genere facti amici. Naturali dilectioni proximi divina eloquia non contradicunt, quamvis ex charitate non impendatur, quod præceptis Dominicis debetur obedientiæ. Peccat ergò, qui, urgente præcepto, ex charitate non diligit proximum & ei divina eloquia contradicunt; atqui tamen ei in eâ dilectione non contradicunt quâ per affectum cognationis proximum diligit, ergò quod non fit ex charitate præcepta bonum, manet bonum, & illud bonum malè facit qui ex charitate præceptâ non facit. Faceſſant itaque operoſa illa machinamenta rationum, quibus juvabatur Bayus, quibuſque hoc unum confici videbatur, virtutum officia fore vitia, ſi ex charitate à nobis eſſent in Deum referenda. Actus noſtros non modò à fine malo abeſſe debito, ſed & à bono ipſis ineſſe debito inquinari, non eo inficias; inficior tamen hoc relationis & charitatis debito ipſa obſtringi officia. At non intelligis aut intelligere non vis, quod nos referre teneamur, & ipſa ex ſe referri non teneantur. Finge voviſſe me (nam quis hoc fieri poſſe negat?) ad majorem Dei gloriam & ex charitate Dei Petro daturum eleëmoſynam: interim ex ſolo commiſerationis affectu eleëmoſynam pendere: non retuli ad finem ex voto de-

 bitum

bitum eleēmoſynam? ecquis tam rationis alienus qui dictam eleēmoſynam defectu relationis vitiari arbitretur, non ſecùs ac ſi ad finem malum relata eſſet? ad quod me hic urſit obligatio voti, ad id me urget charitatis, quâ Deo ſemper ſervire cogor, præceptum: hoc ergò ſuppoſito non eſt quod tam infauſta ac invidioſa deducas Corollaria, quibus vel invitos, ſed rationabiliter nos in Bayanos ſcopulos agis. *Ideò actûs noſtri* (argumentum eſt R. P. Præſidis in appendice) *malitiam ſumunt à fine proxime honeſto, quem non habent quia operanti præceptum eſt opera ſua referre in finem proximum honeſtum: atqui in ſententiâ Eximii operanti aquè præceptum eſt opera ſua referre in finem remotum, id eſt, Deum: ergò.* Mira ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis. Mira ſtupemus, falſa negamus. Sed quæ gratis vobis adjacent pro confutandâ ſequelâ, quam facitis, gratis adſtruitis. Si ideò actus noſtros malos aſſeritis, quia fine deſtitutos, ad quem collineare ſolus tenebatur operator, negabo potiùs malos, quam hoc titulo malos. Nulla cauſalis eſt: quid mirêris, ſi nulla ſit quæ ſuperſtruitur, conſequentia. Sicut actus noſtri malitiam ſumunt à fine poſitivè malo quia hunc abeſſe ipſa actuum bonorum natura exigit: ita actus a fine honeſto, quo careat, malitiam derivare concedo, non ab eo, ad quem ſolus operans præcepto obſtringitur, ſed ab illo quem natura actionis rationalis adeſſe jure depoſcit ſuo. Hoc ſi tibi ingenium eſt, ut omnem ad quam operans tenetur, circumſtantiam in officium operis referas, vide ſis quò te præcipites. An non enim tenetur ab omni etiam malo concomitanti, quod benè cœpit opus elongare operator? Quid ſi in decurſu orationis v. g. levis irrepat elatio, nonne rea erit humana conſcientia, non reo opere quod bonâ cœpit intentione: ſic & intellige non referentem bona in Deum officia peccare poſſe, ipſa tamen alterius vitio tali inquinari non poſſe.

CONFESSIO IX.

DE JUSTITIA ET RELIGIONE.

L. 5. c. 9 1. *ABſit ut falleres eam in reſponſis tuis, quæ illa fideli pectore tenebat* (Monica) *& ſemper orans, tamquam Chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in ſæculum miſericordia tua, eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promiſſionibus tuis* DEBITOR FIERI. Et tamen *Reddis debita nulli debens: donas debita nihil perdens. Et quis habet quicquam non tuum?* Juſtum eſt ut reddat quod debet; debet autem Deus quod pollicitus eſt. Et tamen ô homo ſi accepturus es vitam æternam, juſtitiæ quidem ſtipendium eſt; ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt & ipſa juſtitia.

L. 1. c. 4

2. Nullus eſt, cui jus non competat; ergo nullus, cui fieri non poſſit injuria: nulluſque jus non retinet, dum jure ſpoliatur ſuo. Jus habent ad famam Religioſi, nec illud amittunt paupertatis voto, quamvis ſint pauperes ſpiritu; nec pauperes eſſe deſinerent voluntatis, quamvis jus haberent proprietatis: quamvis abdicatio proprietatis ita annexa ſit regulæ monachali, ut nec ſummus Pontifex in ea valeat diſpenſare. Jus habet ad fructus beneficiales beneficiatus, nec eo privatur, dum jure patrimonii abundè potitur. Quamquam jus ſuperfluorum ad pias cauſas ſtrictè ſit obligatum.

Lib. 13. cap. 25.

3. Jus habenti ſcienti & volenti, jus auferri poteſt injurioſè. In rebus etiam ſpiritualibus injuriam pati quempiam nil implicat: quo caſu ſarciendi damni lege ſtrictè tenebitur, qui injurius fuit.

4. Ex Theologicâ culpâ levi gravem reſtituendi obligationem fluere, evince ſi potes.

5. *Furtum certe punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? nec copioſus adactum inopiâ.* Extremâ tamen adactum inopiâ ſi furem patitur, nec furem patitur.

6. *Et ego furtum facere volui nullâ compulſus egeſtate nec penuriâ, ſed faſtidio juſtitiæ & saginâ iniquitatis & ideo majori iniquitate.* Nec excuſaſſet Auguſtinum communis graviſque egeſtas. Paucula & modica dum ſine modo conſarcinata fuêre, & ad magnum pervenere, quamvis projecta porcis, lethale tandem animæ vulnus inuehere potuerunt.

Lib. 9. c. 8. 7. *Cum de mero tamquam puella ſobria juberetur parentibus de cuppâ vinum depromere* (Monica) *ſubmiſſo poculo, quà deſuper patet, priuſquam in laguunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum. Ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica ſpernit, paulatim decidit) in eam conſuetudinem lapſa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhianter hauriret.*

8. Quam-

8. Quamvis juſtitiam violaſſe non creditur, intemperantiæ puerilis æſtus arguitur. Quamquam *non defuerit refrænans ancilla diſciplina, quæ præter horas conſuetas nec aquam bibere ſinebat, arguens, dicere ſolita: modò aquam bibitis, quia in poteſtate vinum non habetis: cum autem ad maritos veneritis, facta dominæ apothecarum & cellariorum, aqua ſordebit, ſed mos potandi prævalebit.* Minùs excuſantur ancillæ, quamquam juſto deſtitutæ ſalario, cum in id con'enſerint.

9. Jus vitæ humanæ divinum eſt: nec ideò humanâ authoritate uſurpandum. Humanâ dumtaxat authoritate hominem occidere nec licuit unquam, nec licebit. Seipſum occiderè injuſſu aut ſine permiſſu dominantis Dei vetitum eſt: juſſu tamen judicis ob ſceleris enormitatem, propriam ſibi necem conſciſcere, à juſſu Dei alienum ne dixeris.

10. Nuſquam præceptum permiſſumvè reperitur, ut cujuſvis mali carendi, cavendique causâ nobis ipſis necem inferamus. Hic ſana ratio exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant, ſed tanto digniora imitatione, quantò excellentiora pietate.

12. Aliena, quamvis nocentis vita pœnes authorem eſt: proinde diſpiciendum quæ ſit conceſſio Dei, & an nullo nutet incerto. Pro tutanda fama, honore, pecuniâ privatis datam interimendi noxios facultatem haud reperio. Nec inter bona temporalia magni & maximi, aut etiam minimi momenti diſcrimen invenio adeo ſui valiturum momento, ut ob id ad invadentis interneccionem quemquam armari poſſe aſſentiar.

13. Societatis humanæ pacta ſervanda eſſe docet cuſtos juris juſtitia. Hinc ut fidei deſertores, qui Magiſtro pactum ſtipendium ſubtraxerant, jure arguit Auguſtinus, tamquam quibus *præ pecunia charitate juſtitia vilis eſt.* Pacta tamen aut ficta, aut iniquo metu gravi imperata, vera non autumo: ſicut nec ea quibus error principalem cauſam dederit. Nec ea quæ turpem, ut obligatoriam, poſtulant conditionem. Quæ juriſjurandi religione firmantur propriè, valida eſſe debent. In omni conventione menſura juſtitiæ tenenda eſt: à qua uſura ſemper exorbitat. Lib. 5. cap. 12.

14. Uſura porrò committitur, ubi aliquid etiam non pretio æſtimabile ultra ſortem exigitur. Sorti autem computatur, quod in favorem mutuatarii onus ſuſtinetur, v.g. lucrum ceſſans, damnumque emergens.

Quid de obligatione ad multos v. g. annos carendi ſorte arbitrâbere? ℞. Si obligationem remutuandi pretio æſtimabilem ex D. Thoma ſtatuas, vide ſis, ne & hanc æſtimabilem facias, ac uſurariis ad auctarium viam ſternas.

16. Religio ad juſtitiam quâdam propinquitate accedit; quâdam ratione recedit. Quamvis inter morales emineat virtutes; Theologica equidem ſubſellia occupare digna non eſt. Non exhibet ſervitutem niſi uni vero Deo, cui & veram & myſticam cædit victimam: cui hoſtiam litat orationis, etiam ejus dum invocat Sanctos.

17. Deo peculiariter religantur Beneficiati, & ad horas obligantur, etſi plenam non percipiant ſuſtentationem. Ligantur & Religioſi (non Laici) ad Chorum profeſſi nondum Sacris initiati.

18. Colitur Deus juratione debitis ſtipatâ comitibus: Colitur & ejus ſolutione. Inhonoratur, ſi vel iniquitati, vel falſitati teſtis adhibeatur: in falſitate ſemper graviter. Quidni & in iniquitate, ſi utique in ea facta juratio Deum verè inhonorat?

19. Utrùm implenda ſit iniquè extorta juratio, non levis diſceptatio eſt. Nos in praxi, quod tutius eſt, ſequentes affirmantibus ſuffragium damus. Qui utitur fide illius, quem conſtat juraſſe per falſos Deos, non peccato ejus ſe ſociat; at ſi ſciat falſum juraturum, & cogit jurare, homicida eſt.

20. Religionis virtute dona ejus, noſque ipſos vovemus & reddimus: & cùm homines voverint, nulla conditione rumpenda ſunt, quæ ſine ulla conditione voverunt. Si tamen id voverint quod vovendum fuit ſicut eſt perpetua Virginitas, vel continentia poſt expetita connubia ſolutis à vinculo conjugali, vel ex conſenſu continentibus & carnalia debita ſibi invicem relaxantibus fidelibus caſtiſque conjugibus. Sicut vota emiſſa temeranda non ſunt: ita nec temerè Deo nuncupanda. Quiſque probet quâ vocatione vocatus ſit, vocationemque ſuam per opera voto commenſurata certam facere adnitatur.

21. Ad emiſſionem voti perpetuæ caſtitatis, eam vitæ caſtæ continuationem ſatis diuturnam prærequirit Vir Eximius, ut indè meritò quis confidat *quod Deus caſtitatem ſit conſervaturus.* Et rectè in iis præſertim in quibus nova voluntas nondum eſt idonea ſu-

 perare

perare libidinem vetuſtate roboratam. Sed quis hanc certam habebit confidentiam, ſi animo fixum ſteterit, quod Deus viribus conanti & volenti auxilium ſubtrahere poſſit, ac ſæpenumerò ſubtrahat, ſolius ob noxæ demeritum originalis? Quomodò ſibi proponet fidelem Deum non ſinentem nos tentari ſupra quod poſſumus? Quomodò perpetuam proponet ſervare caſtitatem, quam nec in ſua poteſtate habet, nec in Divina promiſſione? Solemnitas voti ex ſola Eccleſiæ ſanctione manavit: ergo eâ ſublatâ per Eccleſiam, redit ad ſtatum voti ſimplicis. Rectè proindè intulit Vir Eximius: *In voto ſimplici poteſt ex juſta cauſa diſpenſari; ergo etiam in ſolemni.*

22. Benè habet. Vir Eximius, de voto Paupertatis parag. 8. ita profitetur: *Scimus à poſitivis conſtitutionibus pendere, an & qualia vota debeant Religioſi emittere, ita ut ſi ſolam naturam rei ſpectemus, potuerint olim nulla emittere...item vel in perpetuum, vel ad tempus, & uno tèmpore potuit fieri unum, alio verò aliud, prout etiam diverſis locis eodem tempore diverſimodè.* Abſolvat nos ergo Eximius Dominus lepra proprietatis, & quidem ſine dilatione, ſi ea vota ſervemus, qualia ad normam *conſtitutionum* Deo nuncupavimus: quia ſcit *à Poſitivis conſtitutionibus pendère qualia vota debeant Religioſi emittere.* Quod attinet ad piaculare ſimoniæ flagitium, expiatione non egent amplius Religioſi, cum eos non tantùm natura expiaverit, ſed & morum irreformabilis Judex Roma.

REFLEXIO.

SÆpè animum ſubiit admiratio, cur ii quibus nova allubeſcunt plurima, tamquam ſacratæ vetuſtatis ſcriniarii, alios libenter adeò novitatis nomine inſigniant. Ita novitatis reum egit Auguſtinum Adamus docentem, ut rebatur, *haud licitum eſſe occidere Graſſatorem qui nobis velit vitam eripere.* Sed pridem invidiam amolitus eſt à Parente ſuo non degener Filius Eximius P.M. de Noris, vindic. parag. 11. Quem & alius vir doctiſſimus ad objectam ab Adamo ſententiam defenſandam animavit aliorum Patrum teſtimoniis, quibus non injuriâ animentur ii, quorum ſententiæ plaga novitatis inflicta ſpectatur 21. Julii theſi 19. *Injuſtum vitæ aggreſſorem ſervato moderamine inculpata tutela ſine crimine occides. Contraria Novatorum ſententia....Latrocinantibus amiſſa eſt & iniqua viatoribus.* Ut demus adverſantibus probabilitatis momenta haud contemnenda, non ita tamen eorum ſententia certa videri debet, aut certò Auguſtiniana, ut alia Novatorum ſententia dicenda ſit. Et quid nî reſponderant notati Novatores, ut apud M. Noris reſponſum legimus, *Quis non videat, quantum huic ſententiæ authoritatis pondus adjiciant Ambroſius, Cyprianus, & Auguſtinus?* (Quidni Bernardus & alii?) *Nonne illa ſanctiſſimorum ac doctiſſimorum Patrum Trias præponderat integra Centuria Caſuiſtarum, quos Guimenius, Pirotus, aliique probabiliſtarum Primipili longo ordine recitant, quæ teſtium ſi non authoritate, ſaltem numero eas opiniones ſuffulciant, quas uti ſanguinarias Antiquiores Eccleſiæ Magiſtri præſcripſère? Faceſſat igitur novorum Caſuiſtarum Timor. Suos illis relinquamus Tamburinos & Bannios; nos Ambroſium & Auguſtinum audiemus, cum quibus gloriæ vertetur non modo ſapere; verùm, etiam judicibus Caſuiſtis, errare.*

CONFESSIO X.

DE SACRAMENTIS GENERATIM ET 2. PRIMIS SPECIATIM.

Lib. 13. cap. 34. AD imbuendas infideles gentes, *Sacramenta & miracula viſibilia voceſque verborum ſecundùm firmamentum libri tui, quibus etiam fideles benedicerentur, ex materia corporali produxiſti.* Aliis Sacramentis Paterfamiliâs ſervos, aliis imbuit quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Hæc ad ſanctificationem, illa ad ſignificationem inſtituit.

2. Author Sacramentorum noſtrorum non eſt niſi Dominus Jeſus. Nec deſiit Author eſſe, ſi per Apoſtolos inſtituit. Nil per Apoſtolos hìc geſtum eſſe non te docuit Tridentum. In voce Præconis Judex attenditur: ergo ſi dantis conſcientia maculoſa ſit, non perpenditur. Meritò tamen intentio interna attenditur, quâ Judici præco ſubmittitur. Quæ ſi defuerit per ejus miniſterium nihil agitur. Si pluſquam moralis certitudo expoſcitur de miniſtri intentione; ergo & de actione. Vide ſis, ne ſollicitudinem Piæ Matris Eccleſiæ crimineris. Tridentinum quod attinet, Tiletanum ſequi Mavelim, quàm Salmeronem.

3. Florentinum Præſulem Paludani ſententiam inter opiniones retuliſſe, quibuſdam magno

no argumento eſt: aliis admirationi. Quid ſi eundem inter opiniones accenſentem legiſſent eam, quâ tradebatur Sacramentum novæ legis non influere niſi per modum conditionis *ſine qua non*, & *gratiam non à Sacramento recipi?* Nonnè mirarentur vehementiùs alii, alii ſua tela retraherent verecundiùs? Ita tamen eſt videre 3. p. tit. 14. c. 11. parag. 1. Nos contrà quemadmodum contra Paludanum internam à verbis diſcretam intentionem deſideramus; ita contra dictos *Opinatores* Sacramentis virtutem adſcribimus, ſed moralem. Virtutem habent moralem dum reviviſcunt. Unum autem reviviſcere dumtaxat, veroſimilius eſt.

4. *In nomine tuo baptizati ſumus, Pater & Fili & Spiritûs ſancti.* Sine expreſſa hujus nominis invocatione neminem legimus baptizatum. Stephani Tornacenſis opinio prægnantioribus quàm Mauritii rationibus ac teſtimoniis, tunc ſaltem fulta fuit. Nec etiamnùm à probabilitatis finibus abiiſſe adeò compertum habeo. Actio per ſe occiſiva, ſed ablutiva cur non ſemper illicita eſt? An propter vitam animæ? Cur ergo baptizatus ſibi quiſque parcit? Si non ſit probabile quod ante Baptiſmum Sacramentum aliquod validè fructuosè ſuſcipi poſſit, quomodò id Pontifex dicit dubitabile? Lib. 13. cap. 12.

5. Invitus penitùs non baptizatur. At invitis parentibus infidelibus filium baptizare quid vetat? Quod pro ſe filius facere poteſt reluctante Patre, cur non & pro filio facere Princeps poteſt, calcato Patre? *Baptizatus eſt neſciens mente atque ſenſu abſentiſſimus. Vidiſti Domine quo motu animi & quâ fide Baptiſmum Chriſti tui & Domini mei flagitavi à pietate Matris meæ, & Matris omnium noſtrûm Eccleſiæ tuæ. Et conturbata eſt mater carnis mea. Iam curaret feſtinabunda, ut Sacramentis ſalutaribus initiarer & abluerer, te Domine Ieſu confitens in remiſſionem peccatorum, niſi ſtatim recreatus eſſem.* L. 4. c. 4. Lib. 1. c. 10.

6. *Dilata eſt itaque mundatio mea, quaſi neceſſe eſſet, ut adhuc ſordidarer qui viverem: quia videlicet poſt lavacrum major & periculoſior in ſordibus delictorum reatus foret.*

7. *Quanto melius ut citò ſanarer, & id ageretur mecum meorum meâque diligentiâ, ut recepta ſalus animæ meæ tuta eſſet tutela tua! meliùs verò. Sed quot & quanti fluctus impendère tentationum poſt pueritiam videbantur, noverat illos jam illa Mater, & terram magis per eos, undè poſteà formarer, quam ipſam jam effigiem committere volebat.*

8. Hanc piæ Matris ſollicitudinem ſi laudes, per quam Filii dilata eſt mundatio: vide quàm inanis ſit mortis timor, ob quem tibi videtur crudelis abſolutionis (diſcreta cæteroquin) prorogatio.

9. *Terra noſtra, antequam acciperet formam doctrinæ, inviſibilis erat & incompoſita, & ignorantiæ tenebris tegebamur.* Dixiſti fiat lux. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. Et diſpicuerunt nobis tenebræ noſtræ & converſi ſumus ad te.* Et quomodò converſi? *Amor illuc attollit nos. Corpus pondere ſuo nititur ad locum ſuum. Minùs ordinata inquieta ſunt: ordinantur & quieſcunt. Pondus meum amor meus; eo feror quocumque feror. Dono tuo accendimur & ſurſum ferimur. Inardeſcimus & imus. Ibi nos collocavit voluntas bona. Sagittaveras tu cor noſtrum Charitate tuâ.* Lib. 13. cap. 12. cap. 9. L. 9. c. 2

10. *Quas tibi voces dedi cùm legerem Pſalmos David cantica fidelia & ſonos pietatis excludentes turgidum ſpiritum! Rudis in germano amore tuo, Cathecumenus in villa, cum Cathecumeno Alipio feriatus. Matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili ſecuritate, maternâ Charitate, Chriſtianâ pietate?* cap. 4.

11. *Et ea fides me ſecurum non faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptiſmum tuum remiſſa nondum erant. Signabar ſigno crucis ejus.* Nondum tamen acceperat ſignaculum doni Spiritûs ſancti, ſeu Sacramentum Confirmationis. cap. 4. Lib. 1. cap. 11.

12. Hoc non minùs ſacroſanctum eſt quam Baptiſmus, nec minùs valuit foris datum quam ipſe Baptiſmus. Malè diſcrimen imponit Auguſtino Maldonatus. Manûs impoſitio dicitur; at non à ſicca impoſitione, utpotè quæ non ſufficit. Chriſmatis Sacramentum eſt, & ſine benedicto Chriſmate non perficitur. Antiſtitis Sacramentum eſt, & à non Antiſtite dari poteſt, & quidem quâ libuerit (ſi de valore agitur) ſeu indicante, ſeu deprecante formâ.

REFLEXIO.

Tam malè habet quoſdam ea ſemita, quam in negotio ſalutis ac Sacramenti, ut tutiorem capeſſendam ducimus; ut ſi vel unam ut ſpeculativè probabilem opinionem

 tuen-

tuendam ſuſcepimus, extemplò nos à ſecuriori orbita deflexiſſe contendant, faxoque ipſo improbare regulam, de ſemita eligenda tutiore. Sed eâdem pietate reos agant eos, qui multa docent ſpeculativè probabilia, quæ, ipſiſmet judicibus, practicè probabilia non ſunt: ergò & ſe in crimen laxitatis hoc titulo devocent, quibus jam ſpurium ſonat hocce principium: *Quidquid eſt ſpeculativè probabile, eſt practicè certum.* Eò animum advertere debuit Præſes ille, qui Anno 1682. 21. Julii Mechliniæ alludens ad ſententiam de intentione miniſtri externâ, ita laceſſebat *veritatis* & *Charitatis* Doctorem Eximium, ut dicere non erubeſceret. *Certò illum tutiora & certiora ſectari dogmata, qui oppoſita ſententia patrocinatur, nec veritas docet, nec Charitas ſuadet.* Dicam ego: hos aculeos Eximio Viro impingere, nec veritas docuit, nec Charitas ſuaſit. Habeat hic aſſeclas ſuos, habet quos declinet *modeſtiſſima Charitas*, & quos retundit *ſolidiſſima veritas.*

ALIA.

DE Miniſtro Sacramenti peccati mortalis conſcio ita habet theſis Tripartita Claſſ. 3. ordine tertia: *Iuſtificatio præcepta eſt, non modus. Quod ſi contritio nos de ea certos non faciat, neſcit etiam homo quantumvis confeſſus, utrùm amore an &c.* Fallor aut hic eſt Tripartito animus, quod Confeſſionis præmittendæ modus, quamvis alibi, hic præceptus non ſit; cùm ad ſecuritatem indeptæ juſtificationis, nil facere ſaltem neceſſariò videatur, ubi Charitas perfecta in promptu eſt, & reapsè obtenta creditur. Sed cur in Sacerdote celebraturo ut probatio Apoſtolica Confeſſio requiritur à Tridentino? Cur Clementiſſimus Dominus Pœnitentiam in numerum Sacramentorum retulit, cùm ad juſtitiam ejuſque certitudinem perfecta præſumptaque contritio, te Authore, ſatis momenti habere poſſit? Cauſam poſterioris dat Catechiſ. Rom. p. 2. *Vt nobis de remiſſione peccatorum, quam Deus pollicitus eſt, cùm ait: ſi impius egerit pœnitentiam &c. minus dubitare liceret.* Sed nunquid ſine Sacramento certi eſſe poteramus, ut tripartita contendit? audi inſequentia: VEHEMENTER ENIM PENDÈRE ANIMO DE INTIMA PŒNITENTIA OPUS ESSET; *cum de ſuo cuique judicio in iis, quæ agit, meritò timendum ſit. Vt igitur Dominus huic noſtræ ſollicitudini ſubveniret, Pœnitentia Sacramentum inſtituit, quo per Sacerdotis abſolutionem peccata nobis remiſſa eſſe confideremus, conſcientiaque noſtra ob fidem quæ Sacramentorum virtute meritò habenda eſt, pacatiores redderentur.* Aliter ergo, quam aliâs, Sacerdoti ſuo mortalis noxæ conſcio & Sacramenti miniſtro ſubveniat Tripartitus Præſes.

CONFESSIO XI.

DE EUCHARISTIA.

Lib. 10. cap. 43. 1. I*Lle tuus unicus, in quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, redemit me ſanguine ſuo.*

2. *Non calumnientur mihi ſuperbi. Quoniam cogito* PRETIUM MEUM, *&* MANDUCO, *&* BIBO, *&* EROGO. *Et pauper cupio ſaturari ex eo inter illos, qui edunt & ſaturantur, & laudant Dominum qui requirunt eum.* Verè magnus Dominus, & magna miſericordia ejus qui nobis dedit manducare Corpus ſuum & Sanguinem bibere, in quo tanta perpeſſus eſt. Præparavit cibum ſeipſum. Quis audeat manducare Dominum ſuum? Quid hic umbratici reſpondebunt? ubi in tanta luce Lucifugæ noſtri umbram parabunt? MANDUCO PRETIUM MEUM, BIBO & EROGO. Quomodo huic tam præclaræ ſententiæ contraria potuit obviare? An quia alibi dixit, *non hoc Corpus quod videtis, manducaturi eſtis neque bibituri illum Sanguinem quem fuſuri ſunt illi, qui me crucifigent?* Reverâ id dixit quod Eccleſia Catholica in omnibus ſuis membris fideliter fatetur & credit: videlicet *ipſum eſſe Corpus, & non ipſum:* Neque enim eo modo, quo ipſi putabant, modò credimus quod viſibile Chriſti Corpus comedamus, ſed potiùs id credimus quod non videmus. Ipſum eſt materiali eſſentiâ; ſed non ipſum viſibili formâ. Ipſi enim qui receſſerunt à Domino putabant, quod carnes Domini viventis beſtiali more eſſent in fruſta ſciſſuri, & aut elixas vel aſſas in verubus comeſturi: nos autem ſic immaculatum Chriſtum manducamus & bibimus, ut integrum eum ad dexteram Patris manere credamus. Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis quando commendans ipſum Corpus ſuum ait: *Hoc eſt Corpus meum.* Ferebat illud Corpus in manibus ſuis. Ipſa eſt humilitas D. N. J. Chriſti.

3. Quomodò ferebatur? In umbra tantùm vel figura? ſi hoc ita exponunt, hoc idem

in

in David, hoc in omnibus ferè hominibus invenire poſſumus. Quis enim ferè hominum aliquam ſui figuram in qua non ſit ſubſtantia ſua v.g. ſtatuam vel picturam in manibus ſuis ferre non poſſit? *Sed hoc*, inquit, *in ipſo David non invenimus. Et manibus ſuis* NEMO PORTATOR. Non ſatis exprimere poſſum, quantùm his Auguſtini Confeſſionibus oblecter, quantumque ſuper miſerabili Calvinianorum cæcitate admirer; qui effutire non erubeſcunt: *Auguſtinus totus noſter eſt.* Nec minùs demiror ab iis negari ſacrificium; de quo Auguſtinus: *Ipſe de Corpore & Sanguine ſuo inſtituis Sacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hoc eſt, *Sacrificium pretii noſtri.* Hinc & M. Monica *memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit, cui nullius diei prætermiſſione ſervierat: undè ſciret diſpenſari Victimam ſanctam, quâ* DELETUM EST CHIROGRAPHUM, *quod erat contrarium nobis: quâ triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra, & nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem Sanguinem? Quis ei reſtituet pretium quo nos emit, ut nos offerat ei? ad cujus pretii noſtri Sacramentum ligavit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei.* Lib. 9. c. 12. Cap. 13.

4. Sacrificium Euchariſticum propriâ notione ſacrificium eſſe evincunt plurima. Altùm clamat Sacerdos & altare.

5. Hoc Placatus Dominus ingentia etiam peccata dimittit; nulla tamen nequidem venialia cum infuſione gratiæ remittere verius eſt. Pro defunctis in Purgatorio exiſtentibus ſalubriter offertur, non pro damnatis. Singulis minus prodeſt ſi offeratur pro multis: diverſarumque Miſſarum fundationibus unico ſacrificio non fit ſatis.

6. Sacrificium hoc in incruenta Carnis & Sanguinis D. N. Jeſu Chriſti oblatione conſiſtit: In qua non ſolum ad ſpectaculum immolationis exhibetur, ſed verè ac propriè offertur, & incruentè immolatur. Cruenta immolatio per utriuſque ſpeciei conſecrationem luculentius repreſentatur. Unicam conſecrationem ad mortis Dominicæ commemorationem non ſufficere difficulter probatur. Vinum congelatum eſſe inidoneum evince ſi potes. Aqua ex præcepto Dominico miſcenda eſt, ſi fides ſit Cypriano. Hæc non facta vinum tranſit in Sanguinem Dominicum.

7. Communio ſub utraque ſpecie non ſacrificantibus præcepta non creditur. Et dum ſubtractio fructûs Laicis facta ab Hereticis objicitur, faciliùs iis obviam itur, dum idem fructus ex ſimplici ſpecie profluere aſſeritur. Communionem frequentem quod attinet, obſervat Jacobus Baius lib. 2. de Euchariſt. cap. 19. *Quod in illis potiſſimum gentibus hæreſim invaluiſſe conſpicimus, in quibus anteà negligenter, ac rarò communicabatur.* Unde & frequentem communionem non ſolis Eccleſiaſticis, ſed & Laicis ſuadendam docet cap. 22.

8. Verum hæc doctrina multis ſepienda limitibus eſt: ne alioquin frequentia communionis ſacrilegiorum frequentia ſit.

9. Atque imprimis ſi de iis agitur, qui Sacramentum Euchariſtiæ ritè accipere poſſunt, melius facere frequenter accipiendo quam diu abſtinendo, Sanctorum Patrum placitis conformius eſt: quibus non ſimplex ratio ſuffragium dabit. Sed quinam illi, quos ritè & ſine peccato communicare poſſe arbitrabimur? Quamvis nemini legem præfinire velim, non mihi videor pravè ſentire, ſi dicam de illorum numero non eſſe eos, quos longa gravium delictorum conſuetudine contexta catena conſtringit, quique cito & frequenter, communionis frequentiâ non obſtante, ad ſuas libidines remeant. Ut nil dicam de illis qui non in melius, ſed in deterius commutantur. Nec tamen hic mihi animus eſt, ut ſolos in juſtitia vitæque emendatæ propoſito immotè perſeverantes hujus antidoti participatione dignos exiſtimem.

10. Quid de his dicam, qui ſemper ſui ſimiles peccata venialia pro nihilo ducunt nihilque ab iis cavendis laborantes, ea non minori facilitate & confidentiâ quàm laudatiſſima quæque opera ſuſcipiunt, & Euchariſtiam potius ex conſuetudine ſumunt? taliter communicantem laudare non audeo; at magis obicem latitare metuo.

11. *Probet ſeipſum homo:* non quemadmodum nunc faciunt temporis gratiâ accedentes magis, quam animi ſtudio. Communionis tempus non eſt feſtum nec celebritas; ſed conſcientia pura, vitaque à peccatis repurgata. Tempeſtivum accedendi tempus munditia conſcientiæ faciat. Quid ſi Paſcha nos urgeat? R̷. Si imparatos urgeat & indignos pro eo tempore non urgere. Nihil habet amplius quod in Paſcha conſummatur myſterium, quam quod continuò celebratur. Qui tamen in Paſchate arcetur indignus, adniti debet ut fiat dignus.

REFLEXIO.

LUculenta eſt Tridentini definitio : parvulos uſu rationis carentes nullâ obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem. Nec minùs aperta ratio : *Siquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati & in Chriſto incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt :* Hâc cùm definitione tùm ratione poſita, fac Tridentinum verba Chriſti Joannis 6. *niſi manducaveritis &c.* ubi de neceſſitate Baptiſmi agitur, eo & modo & ſenſu atque rigore parvulis applicare, quo applicuit Auguſtinus. Quis ſani capitis niſi de nihilo arbitrabitur Tridentinum realem Euchariſtiæ ſumptionem adſtruere parvulis neceſſariam? Atqui Auguſtinus primùm & loquitur & ratiocinatur ut Tridentinum : igitur de nihilo quis exiſtimet Auguſtinum alio loco, ubi de Baptiſmo committitur, docere realem Euchariſtiæ ſumptionem fuiſſe parvulis neceſſariam. Minor liquet ex eodem libro, quem fatalem putant adverſantes, lib. 1. de peccat. merit. c. 19. *Si percepto baptiſmate de hac vita emigraverit* (parvulus) *ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius,* PERFICIETUR IN ILLO LUMINE, *quod incommutabiliter manens in æternum,* JUSTIFICATOS PRÆSENTIÂ CREATORIS ILLUMINAT : cui conſonat illud lib. de bono perſev. *Abſit ut cauſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum regenerati tranſeant in æternam ſalutem.* Et ne quis regerat de parvulis Euchariſtia refectis eſſe ſermonem, audi rationem velut Tridentini Echonem l. 1. de pecc. merit. c. 19. PECCATA ENIM SOLA SEPARANT INTER HOMINES ET DEUM, *quæ ſolvuntur Chriſti gratia, per quem mediatorem reconciliamur cum juſtificat impium.* Sed in parvulis baptizatis peccata non ſunt ſed Chriſti gratia ſoluta ſunt, ut Author eſt idem Doctor, ergo & Doctore eodem inter parvulum Baptizatum Euchariſtiâ privatum, & Deum nihil ſeparat. Quis contra tantam lucem pertinaciæ nervos extendat? Et eſt qui dicat : *iis* (parvulis) *autem neceſſariam ejus eſſe ſumptionem ſenſiſſe putatur Auguſtinus ; & vero* NON DE NIHILO EA EST SUSPICIO. Theſ. Tripart. 13. claſſ. 2. Tam levi momento non auderem Præſidem ſeu quoad dogmata ſeu quoad vitam in ſuſpicionem rapere. Sit hic ſuſpicantibus genius parte inauditâ alterâ, hærere ad quælibet nocitura, & ad profutura innocentiæ animum non advertere : faxit Deus ut non ſit meus! Hoc equidem ſcio, quæ Auguſtinum reum agere videntur Auguſtini teſtimonia, in æquiorem ſenſum flecti non tantum poſſe, ſed & debere. Adde quod telis ſe confoderet ſuis, victorque victis cederet Auguſtinus, ſi defectu ſolius Euchariſtiæ parvulum baptizatum excluſiſſet à regno cælorum. Pelagiani etenim alienabant parvulos à regno Cælorum non ob culpam, ſed ob negatam Baptiſmi adoptivam gratiam. Auguſtinus incunctanter perſeveranterque reponit, alienum hoc à juſtitia Dei, quod immunis à peccato parvulus, ſolius ob defectum Baptiſmi excluderetur à regno Dei. Sed numquid vitrea hæc ſunt argumenta & falſa, ſi parvulus baptizatus & in filium Dei adoptatus nulli amplius peccato obnoxius alienatur à vita Dei non ob aliud niſi quia realiter non manducavit carnem filii hominis &c.? Quò te convertes Magne Pater, quomodo tuebere juſtitiam Dei in parvulo baptizato damnato, qui eam evertendam prædicas in parvulo Pelagiano innocente quidem, ſed nec renato nec in filium Dei adoptato? nihil eſt ſuper, niſi inter cætera conſtringas hoc telum quod Juliano intorſiſti l. 1. operis poſt. c. 53 *Cur non eis* (parvulis) *datur illuminatio ſpiritalis, adoptio filiorum Dei, Municipatus Hieruſalem cæleſtis, ſanctificatio, atque in membra Chriſti tranſlatio,* ET POSSESSIO REGNI CÆLORUM? HÆCNE TOT MUNERA, TAM NECESSARIA *tot imaginibus ſuis* NULLUM *ſecundum* VOS PECCATUM HABENTIBUS NEGARET DEUS, *cujus quæ ſumma poteſtas eſt, cum hoc beneficium* NON À SE PROHIBEAT VOLUNTAS CONTRARIA *parvulorum?*

CONFESSIO XII.

DE POENITENTIA, EXTREMA UNCTIONE, ET ORDINE.

Lib. 10. cap. 27. 1. S*Erò te amavi, ô pulchritudo tàm antiqua, & tàm nova, ſerò te amavi.* Serò amavit, quia non ſemper amavit. Hoc natura, hoc ratio, hoc divini verbi clamat authoritas. Quod ſi tempus eſt ullum diligendi Deum, illud vel maximè adcommodatum dixeris, quo rupta amicitiæ cum Deo fœdera redintegranda ſunt

Lib. 11. cap. 12. 2. *Diſplicuerunt nobis tenebræ noſtræ & converſi ſumus ad te.* Non ſola ergo gehenna

diſpli-

diſplicuit: Quæ diſplicuiſſet ſola, ſi ſola ejus formido animum penetraſſet. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Amor amore vincitur, & contraria ſolent ſanare contraria, & nihil ita eſt adverſum charitati, quam radix malorum cupiditas. Itaque ardete ne ardeatis igne quo arſuri ſunt dæmones, ardete igne charitatis, ut vos à dæmonibus diſcernatis: Dei offenſio nullo non ſupplicio gravior eſt. Converſio peccatoris in renovatione hominis ſita eſt quâ malum diſplicet quod amavit, & vis converſionis eſt affectio charitatis.

3. *Quid tibi ſum ipſe ut amari te jubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi & mineris ingentes miſerias?* Niſi amet juſtus, non manet juſtus. Si non amet injuſtus, quomodo, non dico fiat, ſed fieri poſſit juſtus? Lib. 1. c. 5.

4. At inquies, homo utens Sacramentis ab officio Deum amandi pro eo tempore abſolvitur. Dico ego, ſi fingi poſſit quod homo utens Sacramentis homo eſſe deſineret, fingi & hoc poſſet. Et qui fidei ſuſcipit Sacramentum, plus ceteris Deum diligere debet, ut Author eſt Auguſtinus. Si optio daretur, ſine charitate perfecta hominem reconciliari non poſſe eredere mallem, quam ſine ulla charitate etiam cum Sacramento poſſe.

5. *Recordari volo tranſactas fœditates.* Omnes & ſingulæ lethales cum lethalibus circumſtantiis ruminandæ veniunt ſicut & confitendæ. Lib. 2. c. 1.

6. *Amore amoris tui facio iſtud recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine cogitationis meæ, ut tu dulceſcas mihi dulcedo non fallax.* Ad omnia ex amore amaricandus animus eſt, magiſque conterendus, quam peccatorum diſcuſſione ineluctabili fatigandus: ſi quæ tamen ſeu juris ſeu facti dubia animum pulſaverint, abjicienda non ſunt; ſed ut talia tenenda, & poſteà confitenda.

7. *Tibi quidem, Domine, cujus oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, quid occultum eſſet in me, etiamſi nollem confiteri tibi? te enim mihi abſconderem, non me tibi.... cum malus ſum nihil eſt aliud confiteri tibi, quam diſplicere mihi.* Deo confitetur qui Sacerdoti confitetur, qui proindè non humano, ſed divino ſe debet conformare, cum judicaverit, arbitrio... Nec locum in eo obtineat quod de humano genere Doctor noſter confitetur. *Curioſum genus ad agnoſcendam vitam alienam; deſidioſum ad corrigendam ſuam.* Confitentine credere debet Confeſſarius? ℞. nec ſemper, nec in cauſa omni. Quamquam non inficier, quod confitenti *credunt, quorum aures charitas aperit:* DICIT ENIM EIS CHARITAS *quâ boni ſunt* NON MENTIRI ME CONFITENTEM, *& ipſa in eis credit mihi.* Lib. 10. cap. 2. Cap. 3.

8. Non tamen ſemper credit in Confeſſario charitas, quod confitenti vera inſit victrix & dominatrix charitas; cum ſæpe ſibi blandiens mentiatur iniquitas. *Gratiæ tuæ deputo & miſericordiæ tuæ quod peccata mea tamquam glaciem ſolviſti.* L. 2. c. 7

9. *Remiſiſti & texiſti, ut beares me in te mutans animam fide & Sacramento tuo.* Remittuntur Sacramento peccata etiam ante remiſſa: remittuntur non modo indicante, ſed & deprecante formâ *Purgas nos à conſuetudine mala.* Non purgamur ab ea ſubitè. Lib 10. cap 3. L. 3 c. 8

10. *Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Eſt violentia conſuetudinis *qua trahitur & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur.* Hinc *voluntas nova, quæ mihi eſſe cœperat ut te gratis colerem* NONDUM ERAT IDONEA *ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.* L. 8 c. 5

11. *Propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & ſolvis à vinculis quæ nobis fecimus.* Duas tibi clavis Dominus dedit, abſolvendi ſcilicet & ligandi: & tu ſine diſcretionis examine neminem ligas, omnes abſolvis: unâ tantum clave, neque integrâ quidem uteris, ſed dimidiatâ. O miſeri animarum non curatores ſed interfectores! Quid Eccleſiam Domini hodie perdit niſi confeſſariorum blandiens adulatio, deliniens demulcenſque aſſentatio? *Humanum eſt peccare* inquiunt. *Quis homo qui non peccat? Facilis eſt venia. Confeſſus, abſolutus es, ſufficit tibi ad ſalutem* L. 1 c. 5

12. Non oportet igitur eos, qui ex inolita conſuetudine ſive ante, ſive poſt confeſſiones relabuntur ſtatim ac confeſſi ſunt, abſolutione donare. Nec eos quos veriſimile eſt ad eadem peccata ſemper redituros.

13. Quid ergo de conſuetudine venialium arbitrabimus? ℞. non placet Doctrina amoris pœnit. l. 1. c. 22. ubi tradit quod licet venialia ſine contritione non deleantur; qui tamen

ſine contritione illorum abſolvitur, non ſemper contrahit peccatum mortale.

14. Non abſolvantur qui neſciunt quid credere & agere homo debeat, ut ſalvus fiat. Quos ſi jam inſtruxeris, illico abſolvere tutum non arbitror. Compunctionis tuta conditio eſt opportunitatis fuga & ſubtractio occaſionis. Prius ergo vadat & concubinam à domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam prout poteſt reſarciat &c. denique omnem proximam peccandi occaſionem amputet, ſive talis ſit ex natura ſua, ſive ex conſuetudine pœnitentis, quem habitâ ratione anteactæ vitæ prudenter judicat Confeſſarius ad peccatum reverſurum, quamdiu in eadem occaſione verſabitur.

15. Ut in præpropera abſolutione, ita in levi & incongrua ſanandis languoribus ſatisfactione medici miſericordia crudelis eſt: nam quid mirum quod in eadem vulnera relabantur infirmi, cum non accipiunt congrua, quibus præſerventur, Antidota? Debet ſatisfactio non modo eſſe pœnalis; ſed etiam medicinalis.

16. Pœnitentiæ conſummatio eſt Extrema-Unctio, quæ oleo ab Epiſcopo, quamvis non neceſſario, benedicto & formâ deprecativa adminiſtrari ſolet. Quid ſi indicativa fuerit? eo me adduci non patiar, ut eam non ſatis momenti habere pronuntiem.

17. Ordo Sacramentum eſt. Si omnis Ordo Sacramentum, cur Tonſuram exceptam cupis? Si mutatio materiæ Ordinis Eccleſiæ conceſſa aſſeritur, cur non & mutatio materiæ Baptiſmi in caſu neceſſitatis Eccleſiæ conceſſa piè creditur? ordinatio inviti ex Auguſtino non eruitur.

R E F L E X I O.

QUæ praxim formidoloſæ attritionis vulneratam, attritionem verò formidoloſam invulneratam dixère *Non ſunt verba* (ut Auguſtini verbis utar l.5.cont. Julian. c.5.) INTER SE CONTRARIA; QUAMVIS TE PATIANTUR (Amice pertinentis Præſes) *vel non intelligendo, vel alios intelligere non ſinendo*, CONTRARIUM. Non erravit in hoſte vir Eximius, qui intactâ ſufficientiâ Attritionis formidoloſæ, ejus praxim vulnus accepiſſe aſſeruit. In ſuo potius erraſſe adverſario reor Præſidem qui hoc dixit. Domi habebat calentia etiamnùm veſtigia, ex quibus (nî Domi hoſpes ſit) legere poterat & ſpeciem certaminis & ſenſum quæſtionis, quo contra & pro attritione dimicatum eſt. De *ſufficientia, de proxima diſpoſitione*, de *conſtitutione, Sacramenti per attritionem ſervilem diſceptabatur*. In quo ſi certò triumphabat attritio, de praxi nulla pugna ſupereſſe poterat: nam attritionem certò ſufficientem ad Sacramenti valorem in praxi adhiberi poſſe, quis iret inficias? Si probabiliter evincebatur attritionis ſufficientia, non erat peculiare de praxi committendum certamen, quod ad omnem materiam probabilem alteram non produceretur, pugnæque ſeu fauſtus ſeu infauſtus exitus ad normam probabilitatis ſeu ſectandæ ſeu declinandæ exigendus erat. Et èconverſo de praxi velitandum non erat iis qui attritionem formidoloſam certò inſufficientem exiſtimant. Hoc ergo tramite perrexit Vir Eximius dum pugna alterâ nón ſufficientiam ſed praxim attritionis formidoloſæ arietare adorſus eſt. At reclamantem inaudio adverſarium. *Nolumus hanc noſtram ſententiam à ſua praxi ſejungere*. Ut disjungere nolis; numquid ideò natura ipſa eam disjungere non ſinit? Quid ſi dicat Eximius: *Nec ego volo* (quia ante non ſoluit) *cum ſua praxi conjungere?* Quid ſi nolit quam factis coactus, ſententiam de attritione practicam facere dum attritionem intactam, praxim verò contendit eſſe vulneratam? Fortène adverſarium quò vincas tuo ſubjugabis imperio ut tibi placita & profutura tela procudat? At, inquies, ut practicam ſententiam conſideravimus noſtram. Quando & ubi? Scilicet anno 1687. menſe Julio poſt finem Theſis 19. Bene habet: dum contra praxim attritionis formidoloſæ ſcripſit Eximius, Propheta eſſe debuit, quo novum inſtituendæ poſteà quæſtionis ſenſum præſagiret. Et ut jam praxis evadat incolumis, jam non ſpeculativè tantum probabilis ſufficientia attritionis aſſeritur, ſed & certa per interrogationem adſtruitur. Si probabilitatum patroni ut praxim tueantur ſuam, omnes opiniones probabiles certas faciant, nemo miretur amplius. Vin amplius? Attritio formidoloſa efficitur *practicè tuta*: & quidnî tuta, nam, *pateretur Dei Providentia Eccleſiam ſuam ad unum prope ſæculum in praxi ſacramentali infeliciter errare?* Si ſuperis placet, hæc eſt praxis Eccleſiæ. Pari jure quæro an fuerit praxis Eccleſiæ *in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore?* Item an practica fuerit Eccleſiæ regula: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ ſive extrinſecâ, quantum-*

tum.

tumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus? praxis attririonis formidoloſæ ſuffragantes habuerit plurimos: habuit (& faxit Deus non habeat amplius) & altera. Habuit & dicta probabilitatis maxima Patronos ſuos. Et utinam non habeat Vaticano icta eſt fulmiue. Denique ſi tuta ſit adeo, fueritque cur non Alexander VII. ut communem, ita & in praxi tutam nuncupavit ſenteutiam de attririone ſervili, ſi pars adverſa non modo ſufficientiam, ſed etiam praxim adeo ſecuram infeſtabat?

CONFESSIO XIII.

DE MATRIMONIO.

1. Q*Vis mihi moderaretur ærumnam meam, ut uſque ad conjugale littus exæſtuarent* L.2.c.2 *fluctus ætatis meæ: ſi tranquillitas in eis eſſe non poterat ſine procreandorum filiorum contenta*, SICUT PRÆSCRIBIT LEX TUA DOMINE? *Non fuit cura meorum ruentem me excipere Matrimonio.* Auguſtino ſic conſtituto lectum cadenti oſtendiſſent, non ab omni caſu certò eruiſſent, ſi eum nubere voluiſſent. Nam venialiter, etiam titulo vitandæ incontinentiæ cecidiſſet poſteà tamen.

2. *Inſtabatur impigrè, ut ducerem uxorem. Iam petebam, jam promittebatur, maximè* Lib. 6. cap. 13. *matre dante operam, quo me jam conjugatum Baptiſmus ſalutaris ablueret.* Non tranſiſſet Auguſtini conjugium in Sacramentum per Baptiſmum. Nec mirum, quia nec baptizatorum ſòlo contrahentium placito confœderata conjugia potuerunt eſſe Sacramenta. Et hæc opinio novitatis evaſit invidiam.

3. *Prohibebat me ſanè Alipius ab uxore ducenda, cauſans nullo modo nos poſſe ſecuro otio* cap. 12. *ſimul in amore ſapientia vivere. Neutrum noſtrum ſi quod eſt conjugale decus in officio regendi Matrimonii & ſuſcipiendorum liberorum ducebat, niſi tenuiter.* Poterat tamen experiri exemplo ſuo *quid diſtaret inter conjugalis placiti modum quod fœderatum eſſe generandi gratia: & pactum libidinoſi amoris, ubi proles etiam contra votum naſcitur, quamvis jam nata cogat ſe diligi.* L.4.c.2 Si aliquam ſibi vir ad tempus adhibuerit donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus ſuis inveniat, quam comparem ducat, ipſo animo adulter eſt. Et ipſa tamen quæ miſcetur ei, non habet cum illo fœdus uxorium. Nullum quoque erit fœdus ſi quævis alia turpis ut oneroſa adjiciatur conditio. Item ſi verba tantùm & ſigna conſenſus adfuerint, aut ſi ex errore perſonali & nonnumquam accidentali, aut denique ex metu gravi iniquo conſentiatur.

4. Interveniente divortio non aboletur iſta confœderatio nuptialis. A viro vivo in alterius tranſire connubium nec licuit, nec licet, nec umquam licebit. Neque demiſſus ab uxore adulter, neque dimiſſa adultera alteri conjungi poſſunt. Neque incontinentium obſtat infirmitas, quam nulla cogit neceſſitas. Eis ſolemus proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem continendi ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamque ſuſceptam uſque ad debitum finem, Domino adjuvante perducunt.

5. Plurimas uni viro fœminas legimus fuiſſe conjunctas, cùm gentis illius ſocietas ſinebat, & temporis ratio ſuadebat. Illis temporibus officio propagandi tales nuptias copulabant non victi libidine, ſed ducti pietate. Quibus ſi optio talis daretur, qualis revelato novo teſtamento data eſt, non eos dubito etiam cum gaudio ſuſcepturos fuiſſe. Niſi fortè Abraham continere ſe non poſſet à nuptiis propter regnum cælorum, qui unicum prolis pignus, propter quod nuptiæ charæ ſunt, potuit intrepidus immolare propter regnum cælorum. Sic autem neceſſe erat ut carnaliter coirent etiam non carnales prophetæ, ſicut neceſſe erat ut carnaliter veſcerentur etiam non carnales Apoſtoli. Homines qui ſe non continent jam tamquam aſcendunt in nuptias gradu honeſtatis: Qui autem ſe ſine dubio contiuerent, ſi hoc illius temporis ratio permiſiſſet, quodammodò deſcenderunt in nuptias gradu pietatis. Sed neque hi ſi qui fortè iuveniuntur, qui non quærunt in connubio nec appetunt niſi propter quod inſtitutæ ſunt nuptiæ, coæquari poſſunt illis hominibus, qui de ſuis nuptiis filios propter Chriſtum quærebant. Continentes quoque Sanctorum Patrum nuptias, qui neque in concubitu niſi prolem neque in ipſa prole niſi quod in carne venturo Chriſto proficeret requirebant, non ſolùm præ ſuo propoſito non contemnant; verùm etiam ſuo propoſito ſine dubitatione præponant.

6. Habeant conjugia bonum ſuum. Virginalis integritas & per piam continentiam ab
Lib. 10. cap. 30. omni concubitu immunitas angelica portio eſt. *Iubes ut contineam à concupiſcentia... juſſiſti à concubitu, & quoniam dediſti, factum eſt, & antequam diſpenſator Sacramenti tui fierem.* Non hoc in virginibus prædicamus *quod virgines ſunt*, ſed quod Deo dicatæ piâ continentiâ virgines. Nam quod non temerè dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier quam virgo nuptura: habet enim illa quod iſta adhuc cupit, præſertim ſi nondum vel ſponſa cujuſquam ſit. Illa ſtudet uni placere cui data eſt, hæc multis, incerta cui danda. Hæ quæ nubere volunt, & ideò non nubunt quia impunè non poſſunt, quas pœnitet profeſſionis & piget confeſſionis, niſi correctum cor dirigant, & Dei timore rurſus libidinem vincant, in mortuis deputandæ ſunt. Magnum continentiæ donum eſt, ſed magnis continentia præſidiis munienda eſt. Omnis prædenda pravitatis occaſio ab otio, à gula, ab omni ſpecie impura, à malorum convictu & ſocietate. Tempus luctaminis adhuc geritur, & mors per feminam adhuc uſque graſſatur. Mentior, ſi non videmus exindè interitus plurimorum. *Quanti & quales Epiſcopi*, inquit Author L. de ſingularitate Clericorum, & *Clerici ſimul & Laici poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina, poſt magnalia & ſigna uſquequaque monſtrata noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe cùm volunt in navi fragili navigare? Quantos leones domuit una mulieris infirmitas delicata, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam?* Et Magnus Baſilius de vera virg. *Cum femina ſemper eſſe, & feminam non cognoſcere, plus eſt quàm mortuos ſuſcitare.* Hæc quanti valeant cogitate, hæc in ſtatera Charitatis appendite, & quidquid amoris nuptiis veſtris impendendum habebatis, cæleſti Sponſo rependite. Si magnum amorem conjugibus deberetis, eum, propter quem conjuges habere noluiſtis, quantum amare debetis? Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce: totum teneat in animo veſtro, quidquid noluiſtis occupari connubio. Parum vobis amari non licet propter quem non amaſtis &
L. 5. c. 1 quod liceret. Et Tu Domine, *Accipe Sacrificium Confeſſionum mearum de manu linguæ meæ quam formaſti & excitaſti, ut confiteantur nomini tuo.* Domine, quæcumque dixi in his Confeſſionibus de tuo, agnoſcant & tui. Si qua de meo, & tu ignoſce, & tui.

IMPERTINENS.

Lib 6. conf. cap. 7. *Fortè Lectio in manibus erat, quam dum exponerem, opportunè mihi videbatur adhibenda ſimilitudo Circenſium: quo illud quod inſinuabam & jucundius & planius fieret cum irriſione mordaci eorum, quos illa captivaſſet inſania. Tu ſcis Deus noſter quod tunc de Alipio ab illa peſte ſanando non cogitaverim.* Quid factum eſt? *Ille in ſe rapuit? Meque illud non niſi propter ſe dixiſſe credidit.* (Nota boni auditoris exemplum) ET QUOD ALIUS ACCIPERET AD SUCCENSENDUM MIHI, *accepit honeſtus adoleſcens* AD SUCCENSENDUM *ſibi, & ad me* ARDENTIÙS DILIGENDUM. Quis non Divini Verbi Diſpenſator hujuſcemodi exoptet auditores, qui, dum ſua vulnera à Medico contrectari ſentiunt, ſic verba medentis excipiant ut *ſibi ſuccenſeant*, non Medico, & ad diligendum Medicum ampliùs exardeſcant?

ALIUD.

Q*uiſquamnè offenditur* (aiebat quidam anno 1687. 13. Julii in cauſa de pœna parvulorum) *ſi in hac controverſia recedamus ægerrimè, quidem recedamus tamen ab Auguſtino*, AUT POTIUS AVELLAMUR INVITI? Offenderetur nemo, Amice Præſes, ſi ea te momenta premerent, quæ redderent *vel invitum.* Eccur invitum te facit abire Doctor Angelicus, ob cujus authoritatem famoſum illum judicem non abſolvis invitus?

ALIUD.

SI Auguſtinus dumtaxat evicit infideles ordinariè virtutum officia ad turpem finem deſtinare, ideoque peccare, non expugnavit *pleniſſimè* Julianum; ſed Julianus vicit Auguſtinum. Nos cum Auguſtino contra Julianum incunctanter aſſerimus, ideò infideles peccaſſe *ſemper*: quia non retulerunt *ſemper*

OMNIA IN GLORIAM DEI.

BIBLIOTECA NAZ ... VITTORIO EMANUELE